

# SALOMONIS

REGIS ET SAPIENTIS

QUAE

SUPERSUNT EIUQUE ESSE PERHIBENTUR

OMNIA

EX EBRAEO LATINE VERTIT

NOTASQUE

QUI OPUS ESSE VISUM EST

ADIECIT

IOSEPHUS FRIDERICUS SCHELLING

POTENTISS. REGI WÜRTEMBERG. A CONSILIIS

ET MONASTERII MURRHARDIENSIS ABBAS.

---

STUTTGARTIAE

IN LIBRARIA LOEFLUNDIANA

M D C C V I.

---

## PRÆFATIO.

---

In ecclesiis Württembergicis antiqui moris est, ut cultibus sacris diebus dominicis celebrari solitis lectiones, quae dicuntur, vespertinae adiungantur, in iisque caput integrum librorum veteris vel novi testamenti, prout ordo fert, cum brevi succinctaque explicatione praelegatur. Habet illud institutum hanc imprimis utilitatem, ut hac ratione populus sensim sensimque omnium, quae in S. Scriptura continentur, aliquam adipiscatur notitiam. Erat



autem explicatio, quae eo consilio ad haec fere nostra tempora usque adhibebatur, cum styli tum tractationis habita ratione talis, quales esse solebant eius generis libri, qui centum abhinc et quod excurrit annis prodierunt.

Necessum igitur esse iudicarunt, qui nunc his ecclesiis praesunt, Antistites summi, novam nostraeque aetatis luci atque doctrinae accommodatiorem librorum sacrorum expositionem illum ad usum elaborari edique.

Id negotii cum inter plures dispertitum, mihiq[ue] Salomonis scripta, excepto tamen Cantico canticorum, ut elaborarem, demandatum esset, proximeque in lucem proditura sit haec expositio germanica, id ipsum etiam huius latinae versionis cum notis a me edendae occasionem mihi dedit. Cum enim in illa ab solita

lita maximeque communi interpretum sententia nonnunquam secesserim meoque sim iudicio usus, idque rationibus philologico-criticis permotus, neque in libro populari usui unice destinato doctis observationibus locus sit, possetque tamen ex iis, quorum esset, illam meam expositionem populo praelegere, quique ipsi docti sunt, esse saltem praesumuntur, non pauci esse, qui novae interpretationis rationes causasque accuratius scire vellent; eorum potissimum in gratiam novam hanc versionem edendi consilium cepi, ut rationem eius redderem ego, et ipsi non arbitrariam aut precariam eam esse intelligerent.

Hoc igitur consilio cum eam edam, facile etiam apparet, necessarium fuisse, ut eam integram darem, neque in iis tantum locis me

con-

continere, in quibus novi aliquid mihi  
 proprii haberem, quod proponerem. Probe  
 enim memor sum eorum, quae ante hos octo  
 annos in Praefatione ad *Animadv. philol. crit.*  
*in loca difficiliora Iesaiæ* etc. \*) scripsi, neque  
 tamen vereor, ne quis me descivisse a memet  
 ipso dicat inconstantiamque mihi exprobet.  
 Vel sola sententiarum in *Proverbiis* et *Ecclesia-*  
*ste*, quarum saepe una alteram explicat, coor-  
 dinatio segmentorumque distinctio id requirebat.  
 Est vero etiam versio ipsa universe considerata  
 vere nova, talisque, qualis adhuc nulla extitit,  
 sensum

\*) Liceat hac occasione in gratiam eorum, qui illo  
 libello forte utuntur, supplere sententiam, quae  
 in eo non mea, sed typothetae culpa e contextu  
 excidit. Pag. 99. lin. 3r. post *praeiit* addenda  
 sunt verba: sive pro Infinitivo verbi *παρ* ha-  
 beatur.

sensum magis, neque tamen non accurate,  
 exprimens, quam verba verbis reddens, cum-  
 que sententiosa archetypi brevitate styli etiam  
 latini cultum quantumpote concilians. Qua in  
 re id quoque mihi potissimum ante oculos  
 fuit, ut sic Salomonis libelli de moribus eo  
 gratiores lectu iis etiam essent, qui ebraici  
 sermonis ignari eos in hoc legere non possent,  
 in versionibus, quales adhuc fuere, minus  
 vellent. Continent enim in se illi doctrinae  
 moralis omnis tam divitem penum, praecepto-  
 rumque ad recte et bene vivendum omni aeta-  
 ti, vitae, conditioni statuique accommodatorum  
 tam perfectam omnibusque numeris absolutam  
 summam, ut haud sciam, an ulla alia veterum  
 recentiorumve scripto comparari cum illis pos-  
 sit, optandumque omnino sit, ut cuiuscunque  
 sortis homines illos tanquam *εὐχρησίδιον* aliquod  
 secum

secum gerant, legant relegantque sequi in loquendo, in agendo omnique in vita ad illius praescripta componant conformentque.

Adiunxi etiam *Cantici canticorum* versionem integram, hac imprimis ratione ductus, ut, de quo ego prorsus convictus sum, ex hac ipsa versione eo luculentius certiusque cognosceretur, opusculum hoc poeticum non plurium canticorum collectionem, sed, quod etiam Singularis *שיר* manifeste prodit, unum carmen esse, et quidem eius generis, in quo non una, sed duae personae essent, quae succinerent sibi alterneque responderent. Erit vero etiam haec ipsa carminis totius versio apta ad docendum probandumque, quam sapienti consilio illud ab religioso usu in conventibus, ad excitandos in animis hominum bonos motus institutis, remotum sit.

Adieci

Adieci illi annotationes ad explicationem non verborum tantum, sed rerum etiam spectantes totamque carminis internam oeconomiam illustrantes. Parcius id factum in *Proverbiis* et *Ecclesiaste*, quod his libellis expositio germanica uberius rerum sententiarumque explicationis vice esse posset.

Quod in titulo versionis huius meae, an, quae Salomonis esse perhibentur, vere eius sint omnia, dubitanter locutus esse videor, in eo dedi aliquid, quod ingenue fateor, magnorum quorundam Virorum, qui de *Ecclesiastis* certe et *Cantici canticorum* auctoritate dubitant, iudicio et auctoritati. Me quod attinet, Salomonem omnium auctorem esse, non valde sum dubius, non quidem, quod eius nomen prae se ferunt, quod in *Ecclesiaste* fictionis, in *Cantico cantico-*

rum

rum serioris manus esse posset, sed quod in *Proverbiis* certe et *Ecclesiaste* eandem sublimiorem sapientiam, quae Salomonis fuit, spirant omnia, et *Canticum canticorum* musa certe et ingenio eius minime est indignum.

Quae etiam contra dicuntur, meo iudicio non tanti sunt, ut constans perpetuumque antiquitatis cum iudalcae tum christianae testimonium elevare possint.

Quod *Ecclesiasten* imprimis attinet, dictionis, quae in eo observatur, si cum ea, quae Salomoneae aetatis erat, conferatur, insolentia, exoticarum Ebraeisque barbararum vocum, seriorisque Praefixi  $\omega$  usus, et quae sunt eius generis alia, quae linguae ad Chaldaeismum et Aramaeismum iam inclinantis indicia esse

videri

videri possint, non sic probant, quod probandum erat, ut nulli exceptioni sit locus. Est enim ille liber argumenti magna sui parte philosophici, habuit autem philosophiâ omnium temporum gentiumque id iuris sibi proprii, ut in vocum usu et in fingendis adeo novis vocabulis aliquid liberratis sibi sumeret, et notionum rerumque quam verborum observantior esset. Quid deinde, si dicatur, quod etiam ex ipso libri argumento non parum probabile est, ab Salomone iam sene scriptum esse librum, eiusque linguam ex longa cum exteris et peregrinis consuetudine traxisse etiam peregrini aliquid. Eo rege navigatio inter Israelitas etiam plus quam antea vigere commerciumque cum exteris exerceri coepit, ut ex I. Reg. IX. 26. ss. Prov. XXXI. 14. 23. Coh. XI. 1. 2. clarum est. Novae res, quae aliunde invehuntur, et nunc demum

demum moris esse incipiunt, nova etiam vocabula inferunt. Eo referenda esse videntur שירי וישראל Coh. II. 5. coll. Cant. IV. 13. שירי וישראל Coh. II. 8. פתגם Coh. VIII. 11. אמרין Cant. III. 9. Prorsus itaque assentior iis, quae S. R. GRIESINGERUS hanc in rem scripsit in libello eruditissimo: Ueber die Authentie der alttestamentlichen Schriften. Stuttg. 1804. pag. 49. s.

Multo minus contra *Cantici canticorum* שירי וישראל aliquid probat, quod in eo C. VI. 4. Thirzae, urbis, quae post Salomonis demum tempora regum Israeliticorum regia sedes facta fuerit, iuxta cum Hierosolyma mentio fiat. Quid enim ex eo sequitur aliud, quam urbem hanc Salomonis iam tempore situs regionisque amoenitate claram fuisse. Omnium minime hoc carmen Salomoni abiudicare ego velim ideo, quod in eo tantas sibi ipsi laudes tribuat, neque

neque vero credibile sit, eum tam immodicum sui ipsius laudatorem esse potuisse. Neque enim in eo Salomo suos ipsius amores canit, sed, quod cuivis poetae liberum est, duos amantes, non ex aula, sed ex caula et pastoritio vitae genere sibi fingit, eosque secum invicem colloquentes, sibi vicissim blandientes inducit.

Num vero, quod Salomonis sit, ea propter etiam divinis accensendum sit carminibus, alia quaestio est. Quod in librorum canonicorum, qui dicuntur, numerum relatum olim sit, auctoritatis praeiudicio factum esse possit, ab Iudaeis, quibus Salomonea omnia divina esse visa sunt. Mihi sensum eius litteralem seu grammaticum subministrare satis visum est. Huic num sublimior aliquis et spiritualis super-

XIV. P R A E F A T I O.

perstrui possit, aliis viris gravibus et cordatis  
iudicandum relinquo.

Plura, quae in Praefatione moneam, non  
habeo. Si quid boni etiam hac mea opella sit  
praestitum, Deo sit gloria.

Scripsi Murrhardiae.



SENTENTIAE.

## C A P V T I.

1. Sententiae Salomonis, filii Davidis,  
Israëuitarum regis;
2. ad veri honestique scientiam,  
ad praeceptorum prudentium intelli-  
gentiam;
3. accipiendumque cum intellectus cul-  
tum,  
tum iusti et iuris rectique omnis in-  
stitutionem;
4. ad impertiendum imperitis sagacita-  
tem,  
adolescenti cuique scientiam et con-  
siderantiam;
5. quanquam vel sapiens, si audierit,  
doctrinam augebit,  
prudens item consilii solertiam acqui-  
ret;

6. ad intelligendum denique acute et  
allegorice dicta \*),  
sapientum effata et aenigmata eorum.

7. Reverentia Iovae cuiusque scientiae  
principium est.  
Sapientiam et disciplinam stulti de-  
spiciunt.

8. Audi, mi fili, institutionem patris  
tui,

nec deseras praecepta matris tuae;  
9. Erit id enim mitra gratiosa capiti,  
et torques collo tuo.

10. Si pellegerint te, mi fili, peccatores,  
ne annuas.

11. Si dixerint: i nobiscum, insidiamur  
age sanguini,  
struamus innocentibus absque causa;

12. ab-

\*) מליצה LXX. per σιωπαιων λογου verterunt,  
et habet omnino vocabulum non tam interpreta-  
tionis, quam orationis sententiaeve interpreta-  
dae significatum. Solebant veteres sapientiae  
morumque praecepta tradere saepe sub apologo-  
rum et aenigmatum involucri, magnaeque sa-  
pientiae erat, haec intelligere et explicare, Cf.  
I. Reg. IV. 32. X. 1. 3.

12. absumamus eos, ut orcus vivos,  
hominesque probos, ut qui descendunt  
ad inferos;

13. opes quasque pretiosas deprehende-  
mus,  
explebimus domos nostras praeda;

14. par tibi sors erit nobiscum,  
una crumena esto nobis omnibus:

15. absit, mi fili, ut eadem cum iis  
via eas,  
cohibe pedem tuum ab semita eorum;

16. eorum enim pedes ad mala quaevis  
currunt,  
properantque ad effundendum sangui-  
nem;

17. nam frustra quidem expansum rete  
sub oculis omnis generis alitum,

18. ipsi vero suae ipsorum vitae insi-  
diantur,  
quod struunt, in suam ipsorum perni-  
ciem faciunt.

19. Sic solet evenire omnibus, qui iniusto  
quaestui inhiant,  
ipsosmet ille, qui illum captant, in-  
tercipit.

20. Sapientia foris personat,  
in locis publicis edit vocem suam,

21. ad

21. ad frequentissimarum viarum com-  
pita \*) declamitat,  
ad portarum introitum intra urbem  
concienatur.
22. Quousque rudes amabitis ruditatem,  
et subsannatores sannis delectabuntur,  
fatui \*\*) denique scientiae erunt oso-  
res?
23. Convertite vos ad redargutionem  
meam,  
tum expromam vobis animi senten-  
tiam,  
notas faciam vobis doctrinas meas.
24. Iam igitur, quod clamitavi, vos vero  
renuistis,  
extensa manu hortata sum, et surdis  
cecini,
25. quod-

\*) pro המיות LXX. legerunt המות verteruntque  
ἐπ' ἀκρόων τετραχέων. Sed praeferenda recepta  
lectio ut exquisitor. Cf. Ies. LI. 20. Ez. XVI.  
24. 25. Sunt vero ברוך v. 20. et בעיר v. 21.  
opposita, estque gradatio orationis observanda:  
foris — in locis publicis extra urbem, coll.  
II. Par. XXXII. 6. Neh. VIII. 1. — in viis fre-  
quentissimis, quibus itur ad urbem, — intra  
urbem ad portas, ubi senatus habebatur, res-  
que civiles et publicae tractabantur.

\*\*) במילים per segnitiam fatui, nam radix arab.  
significat: torpuit, seguis, ignavus fuit.

25. quodque respuistis, quo consulere  
rebus vestris volui,  
et redargutionem meam aversati estis;
26. etiam ego in exitio vestro ridebo,  
subsannabo, cum subito malo terre-  
bimini,
27. cum veniet, ceu procella, pavor  
vester,  
et exitium vestrum, ut turbo, ingruet,  
superveniet vobis calamitas et an-  
gustia.
28. Tunc invocabunt me, nec respon-  
debo,  
solicite quaerent, nec invenient me, —
29. osores quippe scientiae,  
reverentiaeque Iovae expertes,
30. quodque aversati consilium meum  
spreverunt omnem redargutionem  
meam;
31. Itaque rationis, quam secuti sunt, pre-  
tium frugemque percipient,  
suisque ipsorummet consiliis exsati-  
buntur.
32. Nam aversatio rudium necem,  
et securitas fatuorum perniciem affert  
illis;

33. qui

33. qui contra obtemperaverit mihi, stabili securitate fruatur, malorumque impendentium cura ac metu vacabit.

## CAPVT II.

1. O si, mi fili, perciperes effata mea, et praecepta mea sic tecum conderes,
2. ut aurem adhiberes ad sapientiam, animum applicares ad prudentiam consequendam!
3. Quodsi enim recte iudicandi facultatem vocando, prudentiam vociferando prosequeris,
4. si quaereres eam ut argentum, ac velut thesauros abditos rimareris;
5. tum verae religionis intelligentiam, Deique cognitionem consecuturus esses;
6. Iovae enim est largiri sapientiam, ex eius ore scientia et prudentia,
7. qui recondit probis verum bonum \*), praesidium est integris vitae,
8. ut in eo, quod iuris est, se contineant, idemque cursum eorum, qui pie eum colunt, tutatur;

\*) Vid. Excurs. I. sub fine libri.

9. tum

9. tum \*) de eo, quod iustum, legitimum et omnino rectum est, de omni denique virtutum genere recte iudicandi facultate instrueris;
10. Sapientia enim in mentem tuam ventura esset, scientiae dulcem animo gustum percepturus esses,
11. considerantia tui custodiam, prudentia tutelam susceptura esset,
12. ad servandum te ab male agendi ratione, abs quovis perversa loquente,
13. ab iis, qui, relicto recti tramite, in tenebricosas se vias conferunt,
14. malis facinoribus gaudent, exultant improbarum actionum perversitate,
15. quorum tramites tortuosi sunt, quique, quorsumcunque eunt, perplexantur \*\*).

16. ad

\*)  $\aleph$  pendet item, ut superius v. 5. a v. 3. et 4.

\*\*) Prius huius v. membrum ad agendi rationem universam, ut  $\text{לכל מעשה טוב}$  v. 8. et 12. posterius ad singula vitia spectat, ut, si metaphoricum loquendi genus proprio commutetur, versus etiam sic verti possit:

quorum agendi ratio universe perversa, quique usque quaque ab virtute recedunt.

16. ad servandum \*) te (denique) abs quavis \*\*), quae tua non est, ab aliena, dictis blandiente,
17. quae relinquit, quocum in iuventute iuncta est, foederisque per conscium Deum initi obliviscitur;
18. Descensus enim ad mortem est domus eius, et qua itur ad eam, ad manes (itur);
19. Quotquot ad eam ingrediuntur, non revertuntur, nec, ubi viventes versantur, datur revisere;
20. ut proborum vivendi agendique rationem sequaris, moresque iustorum serves;
21. nam, qui recte vivunt, terram colent, integrique manebunt in ea;
22. iniusti contra e terra excidentur, et perfidi extirpabuntur ex ea.

## CAPUT III.

1. Doctrinam meam, mi fili, absit, ut obliviscaris, et praecepta animo excidere tuo ne patiaris,

2. Lon-

\*) להציל continuat sermonem v. 12. coeptum.  
 \*\*) במא"ש, ut supra v. 12. במא"ש.

2. Longaevitatem enim, vitam ad plures annos protensam, prosperitatis item novam subinde accessionem tibi afferent.
3. Nec pietas et integritas te destituant \*); Alliga illa collo tuo, inscribe tabulae cordis tui;
4. Tum gratiam dexteritatemque ingenii \*\*) reportabis, Deo et hominibus probatam.
5. Confide in Iova tota vi animi tui, tua vero prudentia ne nitaris.
6. Quocumque tendis, eius rationem habetum is diriget cursum tuum.

7. Ne

\*) Verba: וְאִם אֵל-יִצְחָק non cohaerent cum proxime praecedentibus, nec promissa, sed praescripta sunt, ut SCHULTENSIVS, BODIVS et DATHIVS recte indicarunt, atque ex sequentibus clarum est. Habet quippe vocabulum וְאִם hic pietatis, eiusque erga Deum aliosque homines, adeoque omni sensu talis, significatum, ut etiam nonnullis in locis aliis, e. g. Ios. LVII. 1. Hos. VI. 6. אִם vero verae et non fucatae probitatis integritatisque sensum habet, ut ἀληθειας Eph. IV. 21. Simili fere ratione et sensu iunctum utrumque vocabulum infra C. XVI. 6. XX. 28.

\*\*) וְשִׁבַּל טוֹב interpretandum ex phrasibus, quas verbum וְשִׁבַּל format, ut Deut. XXIX. 8. Ios. I. 7. 8. I. Reg. II. 3.

7. Ne videaris tibi ipsi sapiens;  
Cole Iovam et abstine a malo.
8. Salubre id erit corpori tuo \*),  
reficietque membra tua.
- 
9. Honorem habe Iovae de facultatibus  
tuis,  
deque primitiis totius proventus tui;
10. tum implebuntur horrea tua ad abun-  
dantiam usque,  
et musto torcularia tua exundabunt.
- 
11. Disciplinam Iovae, mi fili, ne respuas,  
nec correctionis eius sis impatiens;
12. Quem enim diligit Iova, castigat,  
idque patris more, qui filio bene cupit.
- 
13. Beatus is, qui sapientiam conse-  
quitur,  
nec minus qui prudentiae fit compos;
14. Argenti enim lucro praestat, quid-  
quid exinde reportatur,  
auroque praestantior proventus eius;
15. Pre-

\*) LXX. et Syr. legerunt *תָּרַח*, recteque praetu-  
lerunt hanc lectionem coll. C. IV. 22. receptae  
DOEDERLEINIVS in scholiis, et DATHIVS in  
versione ad h. l.

15. Pretiosior est margaritis \*),  
et, quidquid desiderabile tibi possit  
esse, non aequabit eam;
16. Dextra sua longaevitatem,  
sinistra divitias et honores offert;
17. Qua illa quemquam ducit, iucundum  
est,  
et bene succedit, quidquid cum ea  
occipitur;
18. Ad vitam conservandam remedium  
efficacissimum est amplectentibus  
eam,  
et quotquot ei addicti sunt, felices.
19. Iova ipse fundavit terrarum orbem  
sapientia,  
firmavit coelum prudentia.
20. Scientia eius maria eruperunt,  
et nubes rore stillant.
21. Ne recedant, mi fili, ab oculis tuis,  
tuere veram sapientiam et conside-  
rantiam \*\*);
22. Tum vitam animae tuae,  
gratiamque collo tuo conciliabunt;
23. se

\*) MICHAELIS praefert: *corallis*. Vid. Supplem.  
ad Lex. hebr. ad h. v. Certum est, significari  
quicquam, quod vel auro sit pretiosius.

\*\*) Vid. Excurs. ad C. II. 7. Manifeste Salomo,  
quas virtutes v. 3. *חֵכְמָה* et *תְּבוּנָה* appellaverat,  
hic grata vocabulorum varietate *תְּבוּנָה* et *חֵכְמָה*  
vocat.

23. secure cursum tuum prosequeris  
et pede inoffenso;
24. Si cubitum ieris, non metues,  
sique somnum ceperis, dulcis erit  
somnus tuus,
25. ut non sit, quod metuas a terrore re-  
pentino,  
aut a tempestate improborum, cum  
ingruerit;
26. quia Iova erit, in quo fiduciam po-  
nere poteris,  
isque cavebit pedi tuo, ne capiatur.
- 
27. Ne deneges beneficium iis, qui eius  
indigent,  
cum eius exhibendi facultatem ha-  
bueris;
28. Nec inbeas amicum tuum abire et  
redire, cras te daturum esse,  
cum sit tibi, quod des.
29. Nec struas amico tuo calamitatem,  
cum is secure tecum habitat.
30. Nec intendas cuiquam sine causa  
litem,  
si nulla te affecerit iniuria:

31. Ne

31. Ne zelo nimis exardescas \*) in vi-  
rum violentum,  
nec ullam eius agendi rationem tuam  
facias.
32. Abominatur enim Iova hominem per-  
versum,  
cum probis vero intercedit ei con-  
suetudo.
33. Malo domum iniusti cujusque rerum  
statu,  
optato contra iustorum iubet esse ha-  
bitaculum Iova,
34. quandoquidem is irrisores vicissim  
ludibrio exponet,  
obsequiosis vero favebit.
35. Gloriam sapientes reportabunt;  
Infamiae fama fatui inclarescent \*\*).

## CAP V T IV.

1. Audite, filii, institutionem patris,  
auresque adhibete ad discendam pru-  
dentiam;

2. Prae-

\*) Sic interpretandum אִשְׁתָּן coll. Ps. XXXVII. 1.  
Dubius enim, si non prorsus incertus est *aemu-*  
*landi* significatus, quem alii hic praeferunt, cum  
etiam unicus locus Prov. XXIV. 1., qui huic fa-  
vere prae reliquis videri posset, sensum admittat,  
illi priori convenientem, coll. v. 19. illius cap.

\*\*) Oxymoron.

2. Praeclara enim sunt, quae trado vobis,  
a doctrina mea absit, ut deficiatis:
3. Eram quippe filius patri meo,  
tenellus et quasi unicus matris meae.
4. Docuit vero me ille his verbis usus:  
Teneat effata mea animus tuus,  
observa praecepta mea, ut bene tibi  
sit.
5. Compara sapientiam, compara pru-  
dentiam,  
(nec immemor horum sis, nec de-  
flectas a monitis meis.)
6. Ne deficias ab ea, tum custodiet,  
ama eam, tum tutabitur te.
7. Primum et summum ad consequendam  
sapientiam est, ut compares eam  
tibi,  
omnium facultatum tuarum pretio  
compares tibi prudentiam.
8. Extolle illam, tum te in altum evehet,  
honoremque tibi conciliabit, si eam  
amplexaberis.
9. Indet capiti tuo mitram gratiae ple-  
nam,  
splendida corona ornabit te.
10. Audi (inquam) fili, et percipe, quae  
tibi dico,  
tum longiori vita frueris.
11. Sapienter iudicandi rationem te docui,  
recte agendi tibi dux fui;

12. qua

12. qua via si ieris, non remorabitur  
quicquam gressum tuum,  
et qua curres, inoffenso pede pro-  
gredieris.
13. Firmiter tene, nec mitte virtutis prae-  
cepta,  
observa ea, nam ad bene beateque  
vivendum ea conducent.
14. In semitam contra iniustorum ne te  
conferas,  
nec incedas in malorum via.
15. Defuge potius ac devita eam,  
declina te extra eam et transi;
16. Non enim, nisi commisso facinore,  
dormiunt,  
nec, nisi parata offensione, somnum  
capiunt;
17. Panem, quippe edunt iniustitia,  
vinum violentia partum bibunt.
18. Semita contra iustorum est sicut  
lux sudi,  
quae maiora subinde incrementa ad  
perfectum usque diem capit,
19. cum via improborum sit, ut caligi-  
nosa nox,  
nec sciant, ubi pedem sint offensuri.

20. Ad effata (itaque) mea attende o fili,  
ad dicta mea inclina aurem tuam,

B

21. Cave,

21. Cave, recedant ab oculis tuis,  
alta mente ea reponere;
22. Ad vitam enim prolongandam sunt  
iis, quibus contingunt,  
atque ad totius corporis valetudi-  
nem firmandam.
23. Prae omni re tuenda praemuni ani-  
mum tuum,  
vitae namque fons est.
24. Fac abesse abs te perversitatem oris,  
procul abesse abs te pravitatem la-  
biorum.
25. Oculi tui praefixum scopum servant,  
nec vel nictu ab eo aberrant.
26. Quamcunque viam inire vis, eius ra-  
tionem expende prius,  
tum, qua ibis, ab lapsandi periculo  
tutus eris \*).
27. Cave vel dextrorsum vel sinistror-  
sum declines,  
contine pedem tuum a malo.

CAPVT

\*) וכל-דרבך יכנו. Haec verba post LUTHERVM,  
SCHVLTENSIVS, BODIVS et MOLDENHAVERVS  
rectius, quam interpretes recentiores fere omnes,  
de eo intellexerunt, quod ex monitorum ante  
inculcatorum diligenti observatione consecuturum  
sit. Vav enim hic, ut alibi saepissime, hanc  
vim habet. Cf. C. XVI. 3.

## CAPVT V.

1. Ad mea sapientiae praecepta attende,  
ad meas prudentiae regulas accom-  
moda aurem tuam,
2. ut circumspecte usquequaque agas,  
utque, quae labiis prodeant tuis,  
scienter dicta sint.
3. Nam mellita quidem sunt verba me-  
retriciis,  
et oleo molliora, quae ore profert;
4. sed quae consequuntur inde, absynthii  
more amara,  
ut gladius anceps, acuta;
5. Pedes eius deorsum ad mortem eunt,  
ad inferos gressus eius tendunt;
6. Viam, qua ad vitam itur, ne metiaris,  
hac illac divagatur, te semper in-  
certo \*).
7. Mihi itaque obsecundate, filii,  
et nolite a praeceptis, quae vobis trado,  
discedere.

8. Fac

\*) פן-תפלים — לא חרע. Rectius haec coll. Cap. an-  
tec. v. 26. ad seductum, quam ex SCHVLTENSI  
aliorumque, qui enim secuti sunt, sententia de  
seductrice dicta existimantur.

8. Fac (quisquis es) divertat ab ea via tua,  
nec vel ad fores domus eius prope  
accede;  
9. Utne aliis honorem tuum permittere  
necessum habeas,  
vitamque tuam crudeli cuiquam,  
10. ne peregrini satientur facultatibus  
tuis,  
improboque labore parta abs te sint  
in alius domo,  
11. eoque redactus in fine lamente-  
ris consumpta re tua familiari \*),  
12. dicendumque sit tibi: heu quod  
disciplinae impatiens fui,  
emendationemque respuit animus  
meus,  
13. nec meliora docentibus me obsecun-  
davi,  
aut erudiantibus me aurem praebui;  
14. Parum abfuit, quin in omne genus  
infortunii incidissem,  
idque ex senatus populique sen-  
tentia \*\*).

15. Bi-

\*) De absumentis opibus exhaustoque penu haec po-  
tius, quam de exhaustis corporis viribus intelli-  
genda esse, nexus cum praeced. probabile facit.  
Cf. Coh. IV. 5.

\*\*) Vid. DATHII not. ad versionem h. l., ubi vero  
allegata ab eo loca probant potius, quod DOR-

15. Bibe aquam tua ex cisterna,  
et fluentem aquam tuo ex puteo;  
16. tum exundabunt fontes tui foras,  
eruntque in plateis fluentes rivi;  
17. Tibi soli eos,  
nec cum aliis communes habe;  
18. tum fons tuus erit abundans,  
laetaberisque uxore in iuventute ducta,  
19. dorce amabili, et rupicapra ve-  
nusta, cuius ad ubera deliciabere  
nullo non tempore,  
cuius amoribus detinebere semper.  
20. Ecquid enim, mi fili, alienae amori-  
bus destinereris,  
inque peregrinae amplexus te insi-  
nuares?

21. Videt sane Iova vias cuiusque ho-  
minis,  
quaque cursum suum dirigat, accu-  
rate observat.

22. Mala eius facinora capiunt eum, im-  
probum hominem \*),  
suique ipsius sceleris periculo illa-  
queatur;

23. Mo-

DERLEINIVS ante eum voluit,  $\text{ἵνα}$  ad iudices,  
 $\text{ἵνα}$  vero ad populum designandum pertinere.

\*) In stilo imprimis poetico frequens est, ut pronomi-  
ni etiam nomen ipsum adiungatur, ut Iob.

23. morietur itaque, quod disciplinam  
non admisit,  
multiplicisque suae stultitiae poenas  
dabit.

## CAPVT VI.

1. Si, mi fili, spondidisti pro amico tuo,  
manque data interposuisti fidem  
tuam pro alio,
2. irretiisti temet ipsum verbis ore pro-  
latis,  
quasi vinclis te iis obligasti;
3. fac quomodocunque possis, mi fili, ut  
libereris,  
ut qui in potestatem amici tui venisti,  
satage et urge amicos tuos,
4. nec somnum cape oculis tuis,  
nec dormitationi indulge,
5. expedi te, capreae more, aliena po-  
testate,  
avis more aucupis potestate.
6. Abi ad formicam piger!  
contemplare eius agendi rationem et  
sape,
7. quan-

XXXIII. 20. Vid. STORRII Observv. ad Anal. et  
Synt. hebr. p. 434.

7. quanquam illa principem, praefectum  
aut dominum non habet,
8. parat sibi aestivo tempore suum  
victum,  
colligit messis tempore suum cibum.
9. Quousque, piger, dormies?  
quando surges ex somno tuo?
10. Paululum adhuc dormitationis, pau-  
lulum soporis,  
paululum complicare manus ad va-  
candum quieti (inquis),
11. et superveniet tibi, ceu peregrinator,  
pauperies tua,  
et egestas tua, ceu furiosus homo \*).
12. Nauci est homo nequam,  
cui perverse loquendi habitus est,
- 13.

\*) Pro hospitalitate veterum, in Oriente praesertim,  
viator non tantum aliquis improvisus hospiti, sed  
et praedo supervenire eumque rebus suis exuere  
potuit. Neque tamen veri est simile, per *נא*  
*נא* praedonem, clypeatum quippe, intelligen-  
dum esse, cum, ut recte monet MICHAELIS  
in Supplem. ad h. v., praedonis arma non cly-  
peus, sed gladius et tela sint. Videtur potius  
*נא* esse Participium Hiphil verbi *נא*, quod Ara-  
bibus in Coni. quidem prima, ut Ebraeis, *prote-  
gere*, in Pass. vero eiusd. Coni. non tantum, sed  
in IV. etiam Coni., quae Ebraeorum Hiphil re-  
spondet, *daemone obsessum, insanum ac furio-  
sum* esse significat.

13. qui nictat oculis suis, qui pedum  
motu loquitur,  
digitorum suorum gestu, quid velit,  
innuit,
14. qui perversitatem animo tegit, scele-  
rum artifex omni tempore,  
rixarum auctor est;
15. Unde exitium eius' derepente ingruet,  
subitamque ruinam is patietur, auxi-  
liante nemine.
16. Sex ista aversatur Iova;  
et septimum penitus abominatur:
17. oculos elatos, linguam mendacem  
manusque insontem fundentes sangui-  
nem,
18. animum improba consilia machinan-  
tem,  
pedes ad mali quid faciendum prae-  
petes,
19. mendacia spirantem testem falsum,  
contentionum denique inter consan-  
guineos auctorem.
20. Serva, mi fili, praeceptum patris tui,  
nec deseras institutionem matris tuae.
21. Alliga illa pectori tuo iugiter,  
annecte illa collo tuo.

22. Haec te doctrina, cum obambulabis,  
ducet, cum cubabis, excubabit  
super te,  
cumque expergefactus fueris, sermo-  
cinabitur tecum;
23. Nam lucernae instar est, lucis instar  
doctrina,  
et ad bene vivendum via est disci-  
plina morum;
24. ad servandum te ab uxore alterius \*),  
a blanditiis alienae.
25. Cave venustate eius ad eam concu-  
piscendam incendaris,  
aut capiat illa te palpebrarum millecebris;
26. Propter meretricem enim quis ad  
mendicando vivendum redigitur,  
adultera vero etiam vitae ipsi quan-  
tumvis pretiosae periculosa est.
27. Colligetne quis ignem in sinu suo,  
vestesque eius non comburentur?
28. incedetve quis super prunis,  
pedesque eius non adurentur?
29. Eadem ratio eius, qui ad uxorem al-  
terius intrat,  
non impunis erit, quicumque rem cum  
illa habebit.

\*) pro רַע rectius sine dubio legitur רַע, ut LXX.  
Aqu. aliusque graecus interpres legerunt. אִשָּׁת  
enim est forma constructa, consonatque sequens  
אִשָּׁת רַעוּהָ v. 29.

30. Non tam probrosum erit furi, cum furabitur  
ad famem explendum, cum esurit;  
31. Si enim deprehensus fuerit, septu-  
plum restituet,  
quidquid opum domi suae habet, im-  
pendet;  
32. Qui vero cum uxore adulteratur,  
mentis expers est,  
sibi ipsi qui necem intentat, id facit;  
33. Plagam ignominiamque reportabit,  
probrumque eius non delebitur.  
34. Zelotypia enim iracundia inflamat  
virum,  
nec parcat is, quum vindictam sumet,  
35. nulloque expiabitur piaculo,  
nec muneribus, quot et quantacunque  
sint, placabitur.

## CAP V T VII.

1. Tene, o fili, quae tibi dico,  
et praecepta mea reconde apud te.  
2. Tene praecepta mea, ut bene tibi sit,  
doctrinamque meam oculo cariorem  
habe.  
3. Alliga illa digitis tuis,  
tuoque cordi, ceu tabulae, inscribe.  
4. So-

4. Sororio quasi vincolo tibi iunge sapien-  
tiam,  
planeque familiarem tibi redde pru-  
dentiam;  
5. ad servandum te ab uxore, quae tua  
non est,  
ab aliena dictis blandiente.  
6. Exemplum rei habe \*): per fenestram  
domus meae,  
per transennas meas ego prospexi,  
7. vidique in imperitorum turba,  
animadverti inter adolescentes iuve-  
nem amentem,  
8. qui transibat in platea iuxta angulum  
domus eius,  
inque via iuxta hanc incedebat  
9. crepusculi vespertini tempore,  
ingruente mediae noctis caligine;  
10. Ecce autem obviam ei facta mulier,  
habitu meretricio et callida simula-  
trix,  
11. inquieta et importuna,  
quae domi suae se continere nescit,

12.

\*) Hanc vim habet hic, ut saepe alibi, particula  
ו, servitque ordiendae historiae vel parabolae,  
quae ad rem illustrandam affertur, aut comme-  
morationi verborum alioquius, ut fere οτ, Grae-  
corum.

12. iamque in platea, iam in foris,  
et prope omnes domorum angulos in-  
sidiatur.
13. Haec eum amplexa osculatur,  
protervaque fronte sic alloquitur:
14. Sacrificii eucharistici voto tenebar,  
hodie solvi me eo,
15. exivi igitur obviam tibi,  
tui ipsius quaerendi gratia, et inve-  
nisse te laetor,
16. stragulis instruxi lectum meum,  
vela sunt linum aegyptiacum,
17. conspersi cubile meum  
myrrha, agallocho et cinnamomo.
18. Agedum, amplexibus mutuis largiter  
fruemur ad mane usque,  
amoribusque laeti indulgebimus;
19. Neque enim domi est maritus,  
ingressus est longinquum iter,
20. argenti non parum secum sumsit,  
ad tabernaculorum demum festum do-  
mum revertetur.
21. Pellexit eum garrulitate sua,  
blandiloquentiaque sua eo adegit,
22. ut continuo eam sequeretur, ceu bos  
ad lanienam vadit,  
aut sicut incurrens in rete cervus \*),
- 23.

\*) Vid. DATHII not. in vers. lat. ad h. l. Nulla ver-  
sionum antiquarum receptam lectionem exhibet.  
LXX.

23. cuius iecur sagitta scindit,  
ceu propere advolat ad tendiculum  
avis,  
nescitque, quod vitae suae periculo  
id faciat.
24. Nunc igitur, filii, obtemperate mihi,  
auresque advertite ad dicta mea.
25. Cave, declinet animus tuus ad vias  
eius,  
cave aberres in tramites eius;
26. Plurimi enim ad necem usque vulne-  
rati sunt, quos prostravit,  
et magna copia eorum \*), quos omnes  
interfecit.
27. Viae ad inferos sunt, quae ad eius do-  
mum vergunt,  
descendunt ad mortis penetralia.

## CAPVT

LXX. vertunt: και ωσπερ κυων επι δεσμούς,  
η ως ελαφος τοξευματι πεπληγως εις το  
ηπαρ, legisse itaque videntur: וְכָרֵב אֶל-מוֹסֵר וְכָרֵב  
אֶל-מוֹסֵר אֶל-מוֹסֵר אֶל-מוֹסֵר. Symmachus: σκυ-  
των επι δεσμων αφρων. Is igitur legit qui-  
dem וְכָרֵב, sed quae praecedunt verba: וְכָרֵב  
אֶל-מוֹסֵר אֶל-מוֹסֵר. Veram igitur lectionem verisimile  
est olim hanc fuisse: וְכָרֵב אֶל-מוֹסֵר אֶל-מוֹסֵר.  
Facile etiam intelligitur, quomodo ex  
praeef. ו in פֶּלֶא ortum sit עַד.

\*) וְכָרֵב sunt valde multi, ut Num. XXXII. 1.

## CAPUT VIII.

1. Certumne est, sapientiam clamare,  
prudentiamque vociferari,
2. in vertice locorum editorum, iuxta  
viam,  
in compitis consistentem,
3. ad latus portarum, ad introitum urbis,  
qua intratur per ostia, haec personare:
4. Ad vos, viri, clamito,  
quin ad homines quosque vociferor:
5. Discite rudes, quae ad acuendum in-  
tellectum,  
vosque, fatui, quae ad formandum  
animum conducunt;
6. Audite, quoniam egregia sunt, quae  
eloquar,  
et omnino recta, quae labiis proferam  
meis,
7. veritati item consentanea, quae edis-  
seram,  
abhorrentque ab iniustitia labia mea,
8. ad iustitiam (potius) exacta omnia ef-  
fata oris mei,  
nihil contorti in iis perplexive.
9. Plana sunt illa omnia intelligentiori,  
et recta iis, qui consequuntur scien-  
tiam.

10. In-

10. Institutionem (igitur) meam maioris  
aestimate, quam argentum,  
scientiamque, quam praestantissimum  
aurum,
11. Praestat enim margaritis sapientia,  
et quidquid desiderabile esse possit,  
non aequale pretio illi.
12. Ego sapientia arcta familiaritate  
iuncta sum sagacitati,  
quidque consilii capiendum sit usque  
quaque, facile reperio.
13. Reverentia Iovae est odisse malum,  
elationem omnis generis \*), morum  
pravitatem orisque perversitatem  
odi.
14. Penes me est consilium et effectus \*\*),  
polleo ego et prudentia et vi ad effi-  
ciendum.
15. Per me reges regnant,  
magistratusque, quid iuris sit, san-  
ciunt.
16. Per me principes imperant,  
et nobiles, omnes denique terrarum  
orbis iudices.

17.

\*) ut משען ומשענה Ies. III. 1.

\*\*) cf. Excurs. ad C. II. 7. Sequens membrum  
explicat hoc prius.

17. Qui me amant, eos vicissim amo,  
et, quotquot me studiose quaerunt,  
invenient me.
18. Divitias honoresque in promptu habeo,  
opes durabiles \*) et iusta praemia \*\*).
19. Fructus, quem quis a me habet, me-  
lior est auro vel purissimo,  
et, quod utilitatis ex me reportatur,  
argento lectissimo.
20. Iustitiae rite exercendae dux sum,  
eiusque nulla ex parte ab iuris de-  
viantis tramite;
21. verarum opum possessione ut fortu-  
nem amantes me,  
et thesauros eorum expleam.
22. Eram apud Iovam, cum primum ex  
se ipso quasi prodiret,  
ante opera eius, inde adeo;
23. ab aeterno inaugurata sum,  
ante rerum originem, ante orbem con-  
ditum;

24.

\*) Apud Arabas *inveteravisse* eodem verbo dicun-  
tur opes illibatae et ab longo tempore congestae.  
Vid. SCHVLTENSII Comment. ad h. l.

\*\*) צדקה hic sine dubio eodem sensu sumendum,  
quo C. XXI. 21. in altero hemistichio, adeoque  
de iustitia in tribuendis praemiis quae per me-  
tonymiam pro iustis praemiis ipsis ponitur.

24. cum maria nondum essent, genita  
sum,  
cum fontes aquarum pleni nondum  
essent;
25. antequam montes fundarentur,  
ante colles genita sum;
26. cum nondum conderet terram, et  
quae extra sunt \*),  
primamque telluris materiem \*\*).
27. Cum caelum aptaret, ibi ego,  
cum poneret circum super oceano,
28. cum firmaret nubes superne,  
et conformicaret fontes oceani,
29. cum circumscriberet mare suis fini-  
bus,  
ne transgrederentur oras eius aquae,  
cum fundamenta terrae poneret;

30.

\*) חוצות sunt vel insulae terrae continenti opposi-  
tae, vel terrae remotiores minusque, ab homi-  
nibus certe, habitatae, Iob V. 10. XVIII. 17. et  
pecudum gregibus magis, quam hominibus, fre-  
quentatae, coll. Ps. CXLV. 13. LXX. verterunt  
per *οικητους*.

\*\*) מראש eodem hic sensu dictum, quo v. 23. מראש  
et absolute positum, nec cum sequ. עפרות תבל  
construendum, per hoc vero potius explicari vide-  
tur, ut v. 23. מקדמי ארץ per מראש. Pulvisculi  
considerantur ut prima telluris materia.

30. eram ego apud eum ceu parvulus  
tenerrime habitus \*),  
eramque ei oblectationi quotidianae,  
ludens coram eo nullo non tempore,  
31. ludens item in terrae eius parte cultiori,  
oblectationemque capiens ex societate  
cum hominibus.

32. Nunc igitur, filii, obtemperate mihi,  
beati namque sunt, qui in viis, quas  
ego praemonstro, perseverant.  
33. Audite institutionem, ut sapiatis, nec  
respuite \*\*).  
34. (Imo) beatus, quicumque obtemperat  
mihi,  
ita quidem, ut advigilet foribus meis  
quotidie,  
contineatque se ad portarum mearum  
limen.

35.

\*) מִנִּי א. ל. Adiectivum formae מִנִּי, habet  
significatum in versione ei tributum a forma par-  
ticipiali activa מִנִּי et מִנִּי pluries obvia. Alii  
interpretes post LUTHERUM, interque hos MR-  
CHAEUS, verterunt per *artifex*. Mirum vero  
est, non vidisse hos, prorsus incongruum esse  
hunc significatum, nec reliquis allegoriae colori-  
bus, quibus non virilis dexteritas, sed infantilis  
lepor depingitur, convenire.

\*\*) Minus recte hoc *στυχον* a Masorethis per Soph-  
pasuk diremtum a sequenti, cum quo *διστυχον*  
iustum et priori suppar efficit.

35. Nam qui me invenit, vitam invenit,  
reportabitque benivolentiam ab Iova;  
36. Qui contra a me aberrat, vim sibi  
ipsi infert,  
quotquot me oderunt, mortem amant.

## CAPVT IX.

1. Sapientia extruxit domum suam,  
sculptilique opere fecit columnas eius  
septem.
2. Tum mactatis, quae ad hoc destinata  
erant, vinoque mixto, /  
instruxit mensam suam,
3. ablegavit puellas suas, invitatum  
in locorum urbis editiorum promi-  
nentiis:
4. Quisquis incultae mentis est, divertat  
huc,  
prudentiae experti cuique haec dici  
mandavit:
5. Agite, vescimini meis cibis,  
et bibite vinum, quod ego misceo,
6. abstinete a ruditate, tum bene beate-  
que vivetis,  
et ad prudenter agendi rationem vos  
conferte.

C 2

7. Qui

7. Qui derisorem erudire sibi sumit, habet mercedem operae ignominiam \*), et qui redarguit improbum, contrahit sibi maculam.
8. Cave redarguas derisorem, ut ne oderit te, redargue sapientem isque amabit te.
9. Doce sapientem isque sapientior fiet, instituere perge iustum, et doctrinae ulterioris capax fiet:
10. Principium sapientiae est reverentia Iovae, et cognitio, qualis sanctorum est, prudentia est.
11. Per me dierum tuorum numerus augebitur, addenturque tibi anni vitae.
12. Si sapis, tibi sapis, sin vero derisor es, tu solus lues.
13. Insipiens contra mulier, obstrepens, ruditatis exemplar omnisque scientiae expers,

14

\*) v. 7 — 9. rationem reddit sapientia, cur derisores, h. e. protervos veri bonique contemtores non invitet, ut v. 10 — 12, cur velit, ut, qui invitentur, acceptent invitationem.

14. sedit ad fores domus suae super sella, in celsiori urbis parte,
15. ad invitandum praetereuntes, rectaque, qua via quemque sua ducebat, procedentes:
16. Quisquis incultae mentis est, devertat huc, et sanae mentis experti cuique haec dixit:
17. Furtivae aquae \*) sunt dulces, et panis clanculum comestus iucundi saporis est.
18. Nec scit illorum quisquam, quod manes ibi, inque inferorum imis sedibus conviviae eius \*).

## CAP V T. X.

*Sententiae Salomonis.*

1. Filius sapiens laetificat patrem, filius stultus contristat matrem suam.
2. Nil prosunt gazae per iniustitiam partae, iustitia etiam morte eximit.
3. Esurire non sinit Iova iustum, cupiditatem vero iniustorum frustratur.
4. Pau-

\*) Locutio proverbialis, qualis C. V. 15., quarum altera alteram explicat,

\*\*) Idem fere dictum C. VII. 27.

4. Pauperem facit remissa manus,  
manus sedula ditat.
5. Qui aestate colligit, prudenter,  
qui messis tempore dormit, turpiter  
se gerit.
6. Prosperitas omnis generis optatur iusto,  
iniustorum os teget violenta manus.
7. Memoria iusti sancte colitur,  
nomen iniustorum putrescit.
8. Sapienti qui mente est, admittit prae-  
cepta,  
at insipienter loquens \*) praecipitatur.
9. qui recta via incedit, secure procedet,  
in obliquas qui vias discedit, nota-  
bitur.
10. Nictans oculo dolorem efficit,  
et insipienter loquens praecipitatur.
11. Fons vitae est os iusti,  
os iniustorum teget violenta manus.
12. Odium excitat rixas,  
praevaricationum quodvis genus tegit  
amor.
13. In labiis prudentis invenitur sa-  
pientia,  
dorso amentis convenit virga.
- 14.

\*) qui cum praeceptorum recte vivendi contentu  
sui se arbitrii esse velle declarat.

14. Sapientes condunt apud se, quae sciunt,  
insipientis ori instat contusio.
15. Opes divitis sunt ei urbs munita,  
tenuium animos frangit paupertas  
eorum.
16. Operae pretium, quod iustus habet,  
est ad vitam,  
reditus iniusti ad peccandum.
17. Via ad vitam est, quae disciplinae  
conformis est,  
quae divergit a corrigentis monitis, ad  
avia ducit.
18. Dissimulans simultatem est ore men-  
daci,  
et qui calumniam ore profert, stultus.
19. Ubi multum verborum, ibi peccato-  
rum non parum,  
at qui labia sua cohibet, prudens est.
20. Argenti lectissimi pretium habet lin-  
gua iusti,  
mens iniustorum quantilli pretii!
21. Labia iusti multis sunt nutrimento,  
stulti mentis penuria moriuntur.
22. Iovae favor est, qui divites facit,  
idque sine molestiae additamento.
23. Lusus quasi est stulto, scelus com-  
mittere,  
sapienter vero agere viro prudenti.
- 24.

24. Quod iniustus timet, id ipsum obtin-  
get ei,  
quod iusti desiderant (non minus) da-  
bitur.
25. Ceu turbo transit, esse desinit in-  
iustus,  
iustus est ceu fundamentum immobile.
26. Quod acetum dentibus et fumus oculis,  
id piger est committentibus ei quic-  
quam.
27. Reverentia Iovae auget dies,  
anni vero iniustorum abbreviantur.
28. Spes iustorum laetum eventum habet,  
expectatio vero iniustorum frustra-  
bitur.
29. Munimentum integris vitae est religio,  
ruina vero facinorosis.
30. Iustus in aeternum loco non move-  
bitur,  
iniusti vero patria extorres erunt.
31. Os iusti progerminat sapientiam,  
sed lingua perversa loquens extirpa-  
bitur.
32. Labia iusti apta sunt ad loquendum,  
quae placent,  
os vero iniustorum ad loquendum  
perversa.

## CAPVT XI.

1. Lances fraudulentas abominatur Iova,  
pondus vero iustum ei placet.
2. Superbiae comes est ignominia,  
sed cum submissis est sapientia.
3. Integritas proborum ducit eos,  
perversitas vero perfidorum perdit eos.
4. Nil prosunt opes poenae ingruentis  
tempore,  
iustitia vero morte eximit \*).
5. Iustitia integri viam eius planam  
reddit,  
per improbitatem suam cadit iniustus.
6. Iustitia proborum eripiet illos,  
multiplici vero cupiditate sua capien-  
tur perfidi \*\*).
7. Hominis iniusti, cum moritur, spes  
perit,  
itemque expectatio omnis ex male fa-  
ctis \*\*\*).
8. Iustus ex angustia liberatur,  
iniustus in eius locum substituitur.
9. Ore

\*) Cf. C. X. 2.

\*\*) idem fere, quod modo v. 3. et Cap. antec. v. 3.  
dictum erat.\*\*\*) Plur. ab *h* C. VI. 12. X. 29.

9. Ore profanus perdit alios,  
ope melioris scientiae servant se iusti.
10. Florenti in statu iustorum laetatur  
civitas,  
cum iniusti pereunt, iubilat.
11. Pius proborum votis evehitur civitas,  
improbiorum vero consiliis evertitur.
12. Contemptim loquens de aliis amens,  
tacet autem vir probus.
13. Clanculum qui obtretrat, prodit vel  
arcana,  
fido qui animo est, tegit res.
14. Ubi desunt consilia, cadit respublica,  
fortunata vero est, si multos habet  
consiliarios.
15. Ingens detrimentum patietur, qui  
spoponderit pro alio,  
secure vivit, qui abhorret a manum  
dantibus.
16. Mulier gratiosa honorem tuetur,  
viri vero strenui divitias acquirunt.

17. Sibi ipsi bene vult, qui beneficus est,  
suam ipsius carnem infestat, qui cru-  
delis est.
18. Iniustus malefidum operae pretium  
habet,  
iustitiam qui serit, veram mercedem.
19. Iustitiae firmitas conducit ad vitam,  
malum qui sectatur, ad interitum  
suum (id facit).
20. Abominatur Iova perversos animo,  
favet vero iis, recta qui via incedunt.
21. Etiam si iuncta cum aliis manu \*) pec-  
cet, non impune peccat malus,  
iustorum vero vel soboles salva.
22. Annulus aureus in suis rostro,  
mulier venusta, et boni sensu desti-  
tuta \*\*).
23. Desiderium iustorum est unice, quod  
bonum est,  
spes iniustorum funesto eventu \*\*\*).

\*) Non placet SCHVLTENSII eorumque, qui eum  
secuti sunt, sententia, לֵךְ לְךָ per *haeredes* ex-  
plicantium. Argutior quam verior esse videtur.

\*\*) Sententia huius v. est ex eo genere מַשְׁלִים, in  
quibus duo, quae inter aliqua intercedit simili-  
tudo, iuxta se ponuntur sic, ut, qua in re prae-  
cise similia sint, non dicatur, sed legis vel  
audientis iudicio relinquatur.

\*\*) Cf. ad h. v. C. X. 24. 28. versumque 7, huius  
Cap. et quoad voc. עֲבָרָה v. 4.

24. Est, qui liberaliter erogat, et ampliores acquirit opes,  
et iusto parcior, eo tantum eventu,  
ut fiat indigentior.
25. Liberalis animi homo pinguescet,  
quique largiter effundit et ipse bonis  
perfundetur.
26. Cohibenti frumentum maledicit populus,  
bene vero precatur vendenti.
27. Vir studiose bonus conciliat sibi favorem,  
malum qui quaerit, sibi ipsi mali  
auctor est.
28. Qui confidit divitiis suis, cadet,  
ceu virens contra folium\*) florebit  
iusti.
29. Qui domum suam per nefas turbat\*\*)   
ventum pro haereditate habebit.  
et stultus servus erit sapienti.

30.

\*) Cf. Ps. I. 3.

\*\*) Verbum עבר generatim quidem *turbandi*, *male tractandi*, *infestandi* significatum habet, ut supra v. 17., specialem vero significatum huius loci ab historia Achanis Ios. VII. 25. accepisse videtur. Quod in omnibus fere linguis usu venit, ut quaedam voces aut loquendi formae singularem aliquem significatum ab historia repetant, id in ebraica non minus locum habet, ut e. g. proximo v. et alibi *arbor vitae*.

30. Quae iustus efficit, sunt quasi fructus arboris vitae,  
omniumque hominum animos sibi conciliat sapiens\*).
31. Si iusto quae facit, in hac terra rependuntur\*\*),  
quanto magis iniusto et peccatori.

## CAPUT XII.

1. Qui amat disciplinam, amat scientiam.  
qui correctionis impatiens est, bar-  
dus est.
2. Vir bonus Iovae benevolentiam sibi comparat,  
scelestum autem hominem condemnat.
3. Non stabile est fundamentum hominis  
in improbitate positum,  
iustorum vero radix moveri nescia.

## 4. Uxor

\*) Explicandum ex v. antec. 27. eiusq. phrasi:

עוֹלָם טוֹב יִבְקֶשׁ רָצוֹן

\*\*) Verbum אָשַׁל verbum anceps in priori sententiae membro in bonam, in altero in malam partem accipiendum est, nec obstat, quod, si *rependendi* h. l. sensu sumendum esset, constructio postulari non posset. Non enim contra usum est etiam haec construendi ratio, quae quippe infra C. XIII. 13. rursus occurrit. Atque etiam sic facile conciliatur locus cum I. Petr. IV. 18.

4. Uxor virtute pollens est corona viri sui,  
putredo quasi in ossibus eius turpis.
5. Cogitationes iustorum iuri consentaneae,  
consilia vero iniustorum dolosa.
6. Verba iniustorum insidiantur sanguini  
innocentum,  
proborum vero os eripit hos.
7. Subvertuntur iniusti, nec sunt amplius,  
domus vero iustorum persistet \*).
8. Pro intelligentiae suae ratione laudatur vir,  
perversae mentis homo contemnitur.
9. Praestat humili qui conditione est, et  
servum habet,  
homine, qui nobilitatem prae se fert,  
et pane caret.
10. Iustus vel iumentum sui eiusque vitae  
rationem habet,  
iniustorum vel miserationes sunt crudele quid.
11. Arvum suum qui colit, sat panis habebit,  
inutilium vero rerum curiosus amens.

\*) Idem, quod v. 3., aliis verbis,

12. Optat sibi iniustus praedam improborum,  
radix iustorum ferax est \*).
13. Praevanantium sermones sunt res  
periculi plena,  
sed iustus evadit angustia.
14. De fructu oris sui sat boni percipiet  
quisque \*\*),  
et quod manibus quisque suis fecerit,  
eius retributionem habebit.
15. Stulto sua vivendi ratio recta videtur,  
sapiens bono consilio obtemperat.

\*) Sic verti potest hic v., subintellecto ad יתן nomine פרי, si lectio masorethica נצור genuina est. Aliam vero lectionem et quidem נצור ante oculos habuisse videntur LXX. Habent enim εν οχυρημασι, quamquam alteri hemistichio iunctum, ut cogitari possit, per hoc eos vertisse יתן. Posset certe hoc esse Fut. verbi נצור, quod coll. rad. arab. وقن significat firmum esse. Sic יתן hic idem esset, quod v. 3. בל-ימות. Nec alienus ab hac ratione etiam Chaldaeus est, qui per נתקם firma stat vertit. Sumto itaque, veram lectionem esse נצור, et יתן ab נתן sensu modo memorato, versus etiam sic verti posset: Optat sibi iniustus praesidium improborum, sed radix iustorum firma est. Sic membra sententiae integrae etiam concinnius clariusque sibi respondere viderentur.

\*\*) i. e. prout bene et utiliter locutus fuerit quisquam.

16. Stulti indignatio continuo se prodit,  
dissimulat acceptam offensionem prudens.
17. Veriloquus, quod verum iustumque  
est, manifestat,  
mendax testis fallit.
18. Est temere effutens ceu gladii pun-  
ctiones,  
sapientum sermones ceu medicina.
19. Os verax perpetuum durat,  
vix ad momentum lingua mendax.
20. Frustrantur qui technas mente agi-  
tant,  
gaudent, quorum salutaria sunt con-  
silia.
21. Non fiet, ut \*) iustus iniquitatis quic-  
quam committat,  
iniusti malitiae pleni sunt.

22.

\*) *יָאֵל* est Fut. Pūal ab *יָאֵל*, quod non significat tantum *moeruit*, *luxit*, sed etiam *praesens fuit*, *adfuit*, *accessit*. Hinc Piel *obvenire fecit* vel *sivit* Exod. XXI. 13. et Pūal *praesentem sisti*, *obtingere*, *accidere* Ps. XCI. 10. et h. l. Ab recepta lectione discedere igitur non opus est. Quam etiam lectionem habent LXX. Syr. et Chald., non probat, eos vel *יָאֵל*, ut SCHNEERVS et DATHVS coniecerunt, vel *יָאֵל*, ut MICHAELIS voluit, legisse, sed est tantum, ut saepe, explicatio receptae lectionis.

22. Detestatur Iova os mendax,  
qui veracitati student, hi placent illi.
23. Homo prudens dissimulat scientiam,  
stultorum ingenium tale est, ut suae  
ipsimet stultitiae praecones sint.
24. Manus sedula dominabitur,  
remissa fiet tributaria.
25. Sollicitudo animum hominis deprimit,  
verbum consolatorium eum exhilarat\*).
26. Consulit amicum suum iustus,  
iniustos vero via eorum in avia ducit.
- 27.

\*) Non obstat huic versioni genus fem. nominis *יָאֵל*. Neque enim infrequens est, ut formae verborum masculinae, quod illae olim communes utrique sexui fuerunt, per archaismum construantur cum nominibus femininis. Vid. Deut. XXII. 23. Iud. XXI. 21. Esth. I. 20. I. Reg. XI. 3. Coh. XII. 4. et cf. STORRII Observ. ad Anal. et Synt. hebr. p. 140 sq. Nec morari quinquam debet Suff. femin., quasi illud masculino *ל* non bene responderet. Nam observante eodem STORRIO p. 374 sq. etiam Nomen masc. non raro construitur, ut synonymum coniugatum fem. generis. Dictum quippe est etiam *לְבָרָה* Ez. XVI. 30.

27. Non excitabit \*) praedam suam remissus, pretiosae hominis divitiae sedulitas \*\*).
28. In virtutis tramite est vita, et qua ducit semita eius \*\*\*) immortalitas \*\*\*\*).

## CAP V T XIII.

1. Sapiens erit filius, qui paternam disciplinam admittit, Derisor \*\*\*\*), qui correctionem non audit.

2. De

\*) Verbum α. λ. דור ex Arab. sic primum explicavit SCHULTENSIVS, estque phrasid praedam suam non excitare locutio proverbialis, quae idem significat ac: nihil efficere, quod operae pretium esset.

\*\*) דור vox cum dilectu posita, quod eadem etiam autum significat.

\*\*\*) נחיה est forma masc. נחיה, quae etiam Ps. LXXVIII. 50 et CXIX. 35. occurrit, eaque coniuncta cum Suff. ה, cuius Mappik extitisse olim in quibusdam exemplaribus, atque a Masorethi sine causa damnatum expunctumque fuisse, ipsa eorum nota marg. היה רפה probat.

\*\*\*\*) מות אל - forma composita similis formae אלקים C. XXX 3.

\*\*\*\*\*) i. e. protervus contemtor veri et boni cf. C. I. 22. IX. 7.

2. De fructu oris sui utilitatem percipiet quisque \*), perfide loquentium appetitus male mulctabitur.
3. Qui a temere loquendo sibi cavet, cavet vitae suae, labia sua qui distendit, ei contusio imminet.

4. Appetit, sed incassum, piger \*\*), sedulorum appetitus ad pinguedinem usque satiatur.

5. A verbo mendaci abhorret iustus, iniustus foedum pudendumque quam mentiatur \*\*\*).

6. Iustitia vitae integrae praesidium est, iniustitia praecipites dat in peccatum.

7. Est, qui divitem se gerit, et nil quicquam habet, pauperem qui se gerit opumque dives est.

8.

\*) C. XII. 14.

\*\*) Nomen pronemini adiunctum. Vid. not. ad C. V. 22.

\*\*\*) εὐφημισμός in suppresso mendacii nomine.

8. Vitam redimere quis potest divitiarum ope,  
pauper ne increpationi quidem obnoxius est.
9. Iustorum lux laete emicat,  
iniustorum lucerna extinguitur.
10. Tantum, ubi fastus est, existit rixa,  
penes eos, qui consilium admittunt,  
est sapientia.
11. Opes vanarum rerum studio minuuntur,  
bonus condus eas augebit \*).
12. Spes protracta aegrimonia afficit  
animum,  
eventus votis respondens est quasi arbor vitae \*\*).
13. Monitionem qui temnit, eius poenam  
cum dolore luet,  
praeceptum venerans eius praemium  
habebit.
14. Doctrina sapientis est fons salutaris,  
cuius usu mortis vitatur periculum.

15.

\*) Circ. in Parad. VI. O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.

\*\*) habet vim medicam ad conservandam prolongandamque vitam. Vid. not. ad C. XI. 29.

15. Intelligendi dexteritas comitem habet  
morum humanitatem,  
perverse sentientium mores sunt asperum quid \*).
16. Prudens quisque, quod agit, scite  
agit,  
fatuus palam prodit stultitiam.
17. Legatus improbus malo id suo erit,  
minister fidus (sibi ipsi et aliis) salutem affert.
18. Egestas et ignominia sunt eius, qui  
disciplinam respuit,  
correctionem qui observat, honorabitur.
19. Cupiditas fracta \*\*) dulcescit animo,  
abominabile quid stultis est — abstinere a malo.

20.

\*) אִתֵּן est forma superlativi, habetque etiam *duri*, *inflexibilis*, *asperi* significatum coll. rad. arabica وتن Vid. SCHVLTEHSII Orig. hebr. L. I. p. 112 sq. ed. Lugd.

\*\*) in תַּאֲוָה נִפְחָה est ingeniosa amphibolia. Potest utrumque significare, et cupiditatem, quae expletur, idem ergo, quod supra v. 12. תַּאֲוָה בָּאֵחַ, et cupiditatem fractam; Verbum נִפְחָה enim in Niphal significat etiam frangi rei cognoscendae aut potiundae cupiditate, solitudine et moerore ex

20. Qui conversatur cum sapientibus, fiet solide sapiens, stultorum vero socius homo dissolutus \*).
21. Malos mala sors sequitur, bona remunerabitur bonos.
22. Vir bonus haereditatem relinquet nepotibus, reconditae iusto sunt opes peccatoris.
23. Multum cibi suppeditat novale pauperum, consumuntur vero opes \*\*), ubi ius abest.
24. Qui virgae suae parcat, odit filium, qui amat illum, mature disciplinam adhibet.

25

ex rei alicuius difficultate, curis confici, ut Dan. VIII. 27. *fractus sum et infirmatus*. Vid. SCHULTENSII Comment. ad h. l. et cf. STORRII Obs. p. 39. s.

\*) *ירוע* proprie: *confringetur*. Acumen vero sententiae est in oppositione verborum *ירוע* et *ירום*, nam *ירום* originatione sua, notat *solidus* quid, notante SCHULTENSIO ad h. l. Per *ירוע* itaque significatur hic aliquid, quod *solido* oppositum sit, i. e. dissolutum. Lusus item verborum *ירוע* et *ירום* observari meretur.

\*\*) *יש* hic *opes* et *facultates* significare videtur, ut C. VIII. 21. Alias verti etiam sententia posset: sed est deficiens, qui non observat iustitiam.

25. Iustus ad saturitatem usque appetitum sedat, iniustorum venter laborat inedia.

## CAP. XIV.

1. Sapiens quaevis femina domum suam exstruit, stulta propriis manibus eam destruit.
2. Recta via incedit, qui Iovam colit, in obliquas vias aberrat, qui temnit eum.
3. In ore stulti est virga ferox, sapientum labia sunt, quod tuetur eos \*).

## 4. Ubi

\*) Lingua stulti ut alibi cum gladio, sic hic cum virga ferocis alicuius praefecti comparatur, labia sapientum cum pedo, cuius non tam est, oves ferire, quam tueri et defendere cum pastorem ipsum, tum gregem. Subinnuitur haec posterior comparatio verbo *תשמור*, significaturque hoc ipso simul, stultum linguae ferocia non aliis tantum, sed et sibi ipsi noxae esse. Pro *תשמור* legendum *תשמור*, et 1 per antiquum errorem transpositum tantum esse videri posset, nisi et alibi exempla huius formae occurrerent, ut Exod. XVIII. 26. Ruth II. 8. Ies. XXV. 10. Dantur etiam Codd., in quibus 1 omiss.

4. Ubi desunt boves, vacua est area,  
proventus autem uber in taurorum  
robore.
5. Testis fidus est, qui non mentitur,  
qui mentiri solet, testis fallax.
6. Quaerit derisor sapientiam, nec effi-  
cit quicquam,  
prudenti facilis inventu est scientia.
7. Vita vel propinquitatem stulti,  
nil audies, quod scitu dignum sit.
8. Sapientia prudentis est, considerate se  
gerere,  
fatuitas stultorum falli \*).
9. Stultos mutuus connectit reatus \*\*),  
probos mutua benevolentia.
10. Interni moeroris animus hominis so-  
lus sibi est conscius,  
qui nec laetitiae suae quemquam alium  
habet participem.

## II.

\*) מרמה est et fallere et falli. Posteriori sensu  
sumtum est etiam C. XII. 20.

\*\*) לץ apud Arab. habet significatum *torquendi*.  
*inflectendi, nectendi*. Cf. SCHVLTFENSII Com-  
ment. ad Prov. I. 6. Recte igitur IVNIUS et  
TREMELLIVS verterunt: *stultos conciliat reatus*.

11. Domus iniustorum evertetur,  
iustorum tentorium florebit.
12. Est forte quisquam, cui sua vivendi  
ratio recta esse videtur,  
eademque postremo eum ad mortem  
ducit.
13. Etiam inter risum dolet animus,  
et postremum eius laetitiae \*) moeror.
14. Quo viae eum suae ducant, abunde  
experietur, qui levis animi est,  
quid sua ei virtus prosit, vir pro-  
bus. \*\*).
15. Homo imperitus temere credit cuivis  
dicto,  
prudens gressus suos probe expendit.
16. Sapiens timet sibi et vitat malum,  
insipiens temere in omnia se prae-  
cipitat.
17. Praeceptis in iram stulte agit,  
dolose malitiosus est exosus.

## 18.

\*) idem idiotismus, qui C. V. 22. XIII. 4. aderat.

\*\*) ad verbum; de viis suis satiabitur aversus corde,  
de iis, quae iuxta eum sunt, s. de semet ipso  
vir probus, in quo nihil difficultatis est, ut ab  
recepta lectione מַעֲלִיו discedendi, et cum Ca-  
pello מִמַּעֲלָיו s. מִמַּעֲלָיו legendi nulla necessi-  
tas sit.

18. Homines inculti haereditario quasi iure sunt stulti,  
docti augent subinde \*) scientiam.  
19. (Accidit quandoque) ut incurvent se mali coram bonis,  
et iniusti sint iusti apparitores \*\*).

20. Etiam amico sub odiosus est pauper,  
amici divitis multi \*\*\*).

21.

\*) יִכְתִּירוּ idem fere hic valere, quod יִכְנוּ vel יִסִּפוּ, admodum probabile est. Verbum enim כָּתַר *multitudinis* notionem primum habuisse et hinc demum ad *cingendi* et *circumdandi* significatum translatum esse videtur, quod nimirum ad cingendum circumdandumque multitudine opus est. Primitivus ille significatus regnat adhucdum in arab. كَثَر, med. Damm., nec in hebr. etiam lingua penitus obsolevisse videtur, nam non huic tantum loco lucem affert, sed etiam Hab. I. 4., ubi eodem verbo רָשַׁע *multitudine superare* dicitur, quin et Ps. CXLII. 8. Multitudinem hominum circumstantium *coronam* vocare etiam Latinis solenne fuit, ut apud CICERONEM pro Flacco: a iudicibus oratio avertitur, vox in coronam turbamque effunditur, et pro Milone: non enim corona noster consessus cinctus est, ut solebat.

\*\*) Vid. Esth. II. 19. 21. III. 2. 3.

\*\*\*) Sententia etiam profanis frequens, ut in illo Ovidii:

donec eris felix, multos numerabis amicos.

21. Qui temnit amicum suum, peccat,  
qui afflictorum miseretur, bene illi.  
22. Falluntur omnino, qui malis rebus,  
certam Dei gratiam consequuntur, qui  
bonis operam dant.  
23. Omnis labor molestus abundantiam,  
ubi verbis tantum res geritur, id non-  
nisi egestatem affert.  
24. Corona sapientum sunt eis divitiae  
eorum,  
crassa vero stultorum opulentia non-  
nisi crassities \*).  
25. Testis fidus vitam hominum servat,  
mendax dolosus est.  
26. Qui Iovam reveretur, eo ipso tutum  
validumque asylum habet,  
quin filiis etiam eius refugium  
erit.  
27. Eadem Iovae reverentia salutaris  
fons est,  
cuius usu mortis vitatur periculum.

28.

\*) אֵוֶלָה originationis suae vi etiam *crassitiam* significare potest. Est igitur hic lusus verbi, transferturque vox illinc ad opum, hinc ad ingenii crassitiam, ut Graecorum παχὺς et παχυτης. Vid. SCHVLTENSII Comment. ad h. l.

28. In multitudine populi sita est maiestas regis,  
in defectu nationis prostrata vis eius  
ad maciem usque.

29. Longanimis est vir multa prudentia,  
praeceps in affectum eminenter stulte  
se gerit \*).

30. Ad conservandam sanitatem conducit  
animus benevolus,  
ossium caries est invidia.

31. Qui tenuem opprimit, conviciatur  
eius conditorem,  
honorat hunc, qui miseretur inopis.

32. Animum despondet in infortunio suo  
iniustus,  
fidenti in morte adeo sua animo est  
iustus.

33. Intus in prudentis mente se continet  
sapientia,  
quid in stultis sit, facile cognoscitur \*\*).

34

\*) Idem fere dictum supra v. 17.

\*\*) Verti etiam possit: in stultorum medio cognoscendam se praebet, sed illud probabilius, cum sapientia prudentum non inter stultos tantum luceat. Cf. C. XII. 23.

34. Iustitia in altum tollit gentem,  
probrum \*) vero nationum est nefas.

35. In laude et gratia apud regem est  
minister prudens,  
irae eius obnoxius, qui turpiter se  
gerit.

## CAPUT XV,

1. Responsum mite sedat excandescen-  
tiam,  
verbum offendens excitat iram.

2. Sapientum lingua excolit scientiam,  
stultorum os ebullit stultitiam.

3. Ubique locorum sunt oculi Iovae,  
spectant malos et bonos.

4. Lingua salubris est quasi arbor  
vitae \*\*),  
perversus eius usus est detrimentum  
spiritus.

5. Stultus spernit disciplinam patris sui,  
qui observat correctionem, fiet pru-  
dens.

6. In

\*) Acumen est in ἀμφιβολία voc. ἰδὲ Vid. hoc  
vocabulum eodem, quo hic sensu sumtum Lev.  
XX. 17. ubi etiam LXX. per οὐσίδος verterunt.

\*\*) Cf. C. XII. 18. XIII. 12.

6. In domo iusti opes sunt multae,  
in redivitibus iniusti est, quod eos  
turbet \*).
7. Labia sapientum disseminant scien-  
tiam,  
non sic animati insipientes \*\*).
8. Sacrificia iniustorum abominatur Iova,  
preces recte viventium placent ei.
9. Abominatur idem vivendi rationem  
iniusti universe,  
virtutis sectatorem amat.
10. Male mulctabitur, qui a virtutis tra-  
mite recedit,  
qui correctionem odit, morietur.
11. Mortuorum adeo locus statusque ob-  
versantur oculis Iovae,  
quanto magis mortalium animi.
12. Non amat derisor eum, qui corrigit  
eum,  
sapientes non frequentat.
13. Mens hilaris etiam faciem serenat,  
interno dolore animus deprimitur.

14.

\*) Vid. not. ad C. XI. 29.]

\*\*) לא-כן, ut Ps. I. 5.

14. Qui prudenti est animo, quærit  
scientiam,  
os stultorum stultitiae gustu de-  
lectatur.
15. Afflicti hominis vita omnis est  
tristis,  
bono esse animo convivium perpe-  
tuum.
16. Praestat parum cum religionis sensu  
ingenti thesauro cum animi pertur-  
batione.
17. Praestat olerum ferculum, ubi amor  
est,  
bovi saginato cum inimicitia.
18. Vir iracundus excitat contentionem,  
longanimis sedat litem.
19. Via pigri est sepimento quasi spinoso  
impedita,  
recte viventium semita complanata.
20. Filius sapiens laetificat patrem,  
spernens matrem suam stultissimus  
est \*).

21.

\*) חרל כסיל אדם periphrasis est superlativi, ut חרל  
אדם Ies. LIII. 3. et בור עש Ps. XXII. 7.  
Vid. SCHNURRER Obs. ad quaedam loca Prov.  
Sal. Tub. 1776.

21. Laetitia amenti est stultitia,  
vir prudens rectam in eundo \*) ra-  
tionem sequitur.
22. Irrita sunt cogitata consultatione  
prævia destituta,  
multorum iunctis consiliis rata  
erunt \*\*).
23. Laetitiam capit vir ex responso oris  
sui,  
sententia opportune dicta quam lau-  
dabilis!
24. Semita, qua ad vitam it intelligens  
quisque, sursum ascendit,  
ad declinandum ab inferorum loco,  
quo deorsum itur.
25. Domum superborum solo aequabit  
Iova  
viduarum possessiones deminui non  
patitur.

26.

\*) i. e. in vivendo agendoque. Homo, si recte  
vivendi regulas sciret ad easque se conformaret,  
quomodo in iis, quae ab sanæ rationis præscriptis  
aliena sunt, oblectamentum quaerere posset?  
Sic membrorum oppositio clara, nec opus est,  
vocabulo חמור alium eumque longiuscule pe-  
titum sensum subiicere.

\*\*) C. XI. 14.

26. Abominatur Iova consilia malitiosi,  
probat idem benevole et iucunde  
dicta.
27. Suam ipsius rem domesticam turbat \*)  
avarus,  
fortunatus, qui a muneribus accipien-  
dis abhorret.
28. Quid respondendum sit, expendit  
apud se iustus,  
os iniustorum temere effutit mala.
29. Procul abest Iova ab iniustis,  
iustorum precēs exaudit.
30. Quod faciem serenat, ex eo etiam  
animus laetitiam capit,  
auditio laetabilis ad corporis pingue-  
dinem conducit.
31. (Sic) cuius auris salutare audit mo-  
nitiones,  
in sapientum medio locum habebit.
32. Qui respuit disciplinam, semet  
ipsum abiicit \*\*),  
qui correctionem audit, animi capaci-  
tatem nanciscetur.

33.

\*) cf. v. 6. et quia ad C. XI. 29. notata sunt.

\*\*) CROERO Parad. I. Tu — sic te ipse abiicias  
atque prosternes, ut nihil inter te atque qua-  
drupedem aliquam putes interesse?

33. Reverentia Iovae est ad sapienter vendum institutio,  
atque ad ardua ascenditur per aspera.

## CAP V T XVI.

1. Hominis est, animo sibi hoc illudve proponere,  
ab Iova vero dependet responsum linguae \*).
2. Ratio sua cuique, quaecunque sit, re-  
prehensionis expertus esse videtur,  
sed Iova est iustus spirituum aesti-  
mator.
3. Iovae commenda, quaecunque egeris,  
tum, quae cogitaveris, rata habebuntur.
4. Quidquid efficit Iova, suo ipsius ar-  
bitratu \*\*) facit,  
cuius exemplum etiam est iniustus  
tempore infortunii.
5. Abominatur Iova elatum animo quem-

\*) i. e. decisio.

\*\*) למעננו non est forma composita praepositionis  
למען propter. Hoc enim si esset, suffixum  
locum habuisset ponendumque fuisset: למעננו  
Habemus igitur hic idem nomen participiale  
למענך quod modo aderat v. 1.

- vis,  
Quotquot horum sint \*), impunis  
nemo.
6. Pietate eaque non fucata \*\*) aboletur  
culpa,  
et religionis est \*\*\*), abstinere a  
malo \*\*\*\*).
7. Cuius vivendi ratio placet Iovae,  
eius vel inimicos cum eo reconciliabit.
8. Praestat parum cum iustitia  
multis proventibus sine iure.
9. Quam viam ineat, homo secum ipso  
reputat,  
eius autem gressus dirigit Iova.
10. Oracula sunt, quae regis labia profe-  
rant,  
in iudicio absit, ut os eius praeva-  
ricetur.

II.

\*) Cf. not. ad C. XI. 2r.

\*\*) Cf. not. ad C. III. 3.

\*\*\*)) ביראת יהוה idem, quod nominativus יראת  
יהוה simpliciter, qui pleonasmus praefixi ב non  
infrequens est. Vid. STORRII Observ. ad  
Anal. et Synt. hebr. p. 453 f.

\*\*\*\*) s. vitium fugere, ut est apud Horat. "Virtus  
est vitium fugere —

11. Libra et bilanx sunt iuris divini,  
divinae ordinationis omnia pondera  
loculi.
12. Detestabile sit regibus committere  
iniustum,  
iustitia enim stabilitur thronus.
10. Placeant regibus sermones iusti,  
loquentemque, quae recta sunt, amet  
eorum quisque.
14. Ira regis est nuncius mortis,  
vir sapiens eam sedat.
15. Serenus regis vultus vita est,  
benivolentia eius quasi nubes pluviam  
serotinam fundens.
16. Sapientiam acquirere, quam egregium,  
prae auro,  
prudentiam acquirere praestabilius ar-  
gento,
17. Solita proborum via est — declinare  
a malo,  
vitam servat, qui viam suam servat.
18. Praecursor infortunii est fastus,  
et ruinam praecedat animi superbia.
19. Praestat demisso esse spiritu cum hu-  
milibus,  
quam spolia partiri cum superbis.

20. Qui prudentem in re aliqua se gerit,  
felix erit,  
quique in Iova confidit, bene illi.
21. Qui sapienti est animo, praedicabi-  
tur prudens,  
orationisque suavitas augebit doctri-  
nam,
22. Fons vitae est intelligentia eorum,  
qui ea pollent,  
institutio stultorum stultitia.
23. Sapientis mens etiam ori eius pruden-  
tiam conciliat,  
quaeque loquitur, ad doctrinam augen-  
dam conducunt.
24. Mellis favo similes sunt sermones  
iucundi,  
dulces animo et salubres corpori.
25. Est forte, cui sua vivendi ratio recta  
esse videtur,  
eademque postremo ei ad mortem  
via est \*).
26. Homo laboriosus laborat sibi ipsi \*\*),  
os quippe eius ei necessitatem im-  
ponit \*\*\*).

27.

\*) Eadem sententia C. XIV. 12.

\*\*) Phrasis לַעֲשֹׂת עֵלָיו explicanda ex opposita: לַעֲשֹׂת עָלָיו C. XIII. 4. similique sententia Coh. VI. 7.

\*\*\*) Verbum אָכַל est α. λ. Nomen tamen אָכַל  
occurrit Iob. XXXIII. 7. quo in loco Syrus אָכַל  
vertit

27. Homo nequam malum parat,  
inque labiis eius est quasi ignis ar-  
dens.
28. Perversus homo serit litem,  
et obtrectator vel familiares \*) di-  
rimit.
29. Malitiosus homo seducit alterum,  
inque viam non bonam eum abducit;
30. Claudis oculos ad excogitandum per-  
versitates,  
cum movet labia, consummat malum.
31. Canities decorae instar coronae est,  
in virtutum via acquiritur.
32. Praestat longanimitas forti,  
quique sui ipsius dominus est, ei, qui  
urbes occupat.

33.

vertit per אֲדָמָה, idem, qui etiam אֲדָמָה Prov.  
VI: 7. reddidit per אֲדָמָה. Cum  
igitur אֲדָמָה sine omni dubio eum significet, qui  
operi praefectus est operasque urget, Exod. V.  
6. 14., habemus hic verum cum verbi tum de-  
scendentis ab eo nominis significatum. Notat  
quippe illud *urgere ad laborem*, hoc *laborandi  
necessitatem* et *onus*, quod imponitur; ipsum.

\*) אֲדָמָה LXX. recte per Φίλους, et C. XVII. 9.  
per Φίλους καὶ οικίους verterunt. Cf. Mich.  
VII. 5.

33. In sinum coniicitur sors,  
Iovae est, cui eam adiudicet \*).

## CAPUT XVII.

1. Melius est frustum siccum cum tran-  
quillitate,  
quam domus plena epulaeque laetae  
cum lite.
2. Fieri potest, ut servus prudens turpi  
dominetur filio,  
interque fratres haereditatem dividen-  
tes arbiter sit.
3. Conflatorium argento, catinus auro  
probando servit,  
interna hominis probat Iova.

## 4. Malae

\*) Hoc distichon aptius cum duobus prioribus se-  
quentis Cap. coniungitur. Docet enim illud, mi-  
nime caeci fortuitive casus, sed divinae provi-  
dentiae esse, quam sortem quis in hac munda-  
narum rerum serie nanciscatur; haec vero, quod  
si cui etiam tenuior sors obtigerit, is nihilomi-  
nus ea non contentus tantum, sed etiam beatus  
esse possit, quin fieri etiam posse, ut villioris  
adeo conditionis homo prudentia sua plus valeat,  
quam ditissimarum opum haeredes.

4. Mala<sup>9</sup> indolis est attendens inique loquenti,  
mendaciis aurem praebens<sup>\*)</sup>, praebet eam pernicio<sup>9</sup>sa loquenti.
5. Deridens pauperem conviciatur conditorem eius,  
qui alterius infortunio gaudet, haud impune feret.
6. Corona senum sunt posteri,  
decus filiorum eorum patres.
7. Non convenit stulto loqui principibus viris digna,  
quanto minus viro principi, loqui mendacia.
8. Gemmae splendentis instar videtur esse munus iis, quibus eius dandi copia est<sup>\*\*)</sup>,  
quamcunque in partem vertatur, prosperum successum habere.

9. Qui

<sup>\*)</sup> מין construendum cum שקר, quod vel accensus innuit, ad posterius vero membrum מקשיב ex priori repetendum.

<sup>\*\*)</sup> Sic rectius sibi membra huius sententiae respondent, quam si בעלי de iis intelligatur, qui munus accipiunt. Ad ישיב conf. Deut. XXIX. 8. I. Reg. II. 3.

9. Qui praevaricationes tegit, amorem sibi conciliat,  
qui dicto eas repetit, vel familiares dirimit<sup>\*)</sup>.
10. Reprehensio apud intelligentem maiorem vim habet,  
quam si stultum percusseris centies.
11. Rebellionem homo quisquam malus unice quaerit,  
crudelis vero contra eum genius mittetur<sup>\*\*)</sup>.
12. Tolerabilius est, ursam catulis orbatam occurrere cuiquam,  
quam stultum, stultitiae suae impetu correptum.
13. Qui malum rependit pro bono,  
ab eius domo non recedet malum.
14. Laxat aquas, qui contentionis auctor est,  
ante vero, quam erumpat concertatio<sup>\*\*\*)</sup>, abstinendum.
15. Absolvens iniustum et condemnans iustum  
abominabiles sunt Iovae pariter.

16.

<sup>\*)</sup> Vid. not. ad Cap. XVI. 28.

<sup>\*\*) i. e. male vero mulcabitur ipse. Veteres Ebraei infortunium quodvis singulare et extraordinarium malis daemonibus vel geniis tribuebant.</sup>

<sup>\*\*\*)</sup> Arab. يلعب in III. Coni. concertare cum aliquo.

16. Cui bono pretium, quod stultus manu tenet?  
ad sapientiam sibi comparandam? eius vero capax non est.

17. Omni tempore amat, qui vere amicus est,  
in angustis rebus nascitur \*) frater.

18. Amens est, qui fideiubet,  
qui sponsionem facit amici ratione habita.

19. Peccatum amat, qui litem amat,  
qui fores attollit suas \*\*), quaerit ruinam.

20. Qui perversi est animi, nil boni reportabit,  
et perversae linguae homo incidet in infortunium.

21. Qui stultum gignit, in moerorem sibi gignit,  
nec laetabitur pater insipientis.

22.

\*) i. e. comprobatur, ut *Vulg.* recte.

\*\*) Distendit os suum ad insolenter loquendum, ut  
שפתי פשוט C-XIII. 3.

22. Mens hilaris ad corporis sanitatem \*)  
conducit,  
at animus depressus marcida facit ossa.

23. Munus captat iniustus ex sinu ex-  
promptum,  
idque ad deflectendum ab iuris prae-  
scriptis valet.

24. Ante oculos prudentis est sapientia,  
insipientis oculi ad extremas terrae  
oras evagantur \*\*).

25. Ad indignationem est pater suo filius  
stultus,  
animi aegritudo genitrici suae.

26.

\*) מנהח α. λ. significatum suum repetit a verbo  
נחה, quod Hos. V. 13. obvium est, et *sanatio-*  
*nis* notionem luce clarius involvit. Ut igitur  
C. XV. 13. ad faciei serenitatem, sic hic ad sa-  
nitatem corporis universe plurimum conferre in-  
nuitur mentis hilaritas. Eundem sensum cepisse  
atque intendisse videntur *Syrus* et *Chaldaeus*,  
cum per *corpus* verterunt.

\*\*) Quod sapiens in promptu habet, id ab insipiente  
tam remotum, ut longe admodum id repetendum  
ei sit.

26. Mulctam tantummodo \*) imponere iusto, malum est, eo procedet (qui hoc facit \*\*), ut vel ingenuos caedat ob recte facta.

27. Parcus in loquendo est, qui scientia pollet,

quique moderato est animo prudens.

28. Etiam stultus, si taceret, pro sapiente haberetur, sique labia sua cohiberet, pro prudente,

### C A P V T XVIII.

1. Qui stultus soli vivit, prout ipsi lubet, contra omne, quod reapse bonum est \*\*\*), pugnat.
2. Minus delectatur stultus eo, quod prudentiae est, quam quod ex ipsius sententia in publicum prodit.

3. In-

\*) Da inservit hic, ut latinum *etiam* et germanicum *auch nur*, comparationi inter id, quod malum et id, quod multo peius est, instituendae.

\*\*) Sic explicanda concisa loquendi forma, frequens illa, ut v. 23. להטות. Vid. etiam C. XVIII. 5. XIX. 8. et cf. STORRII Observv. p. 421.

\*\*\*). Cf. Excurs. ad Cap. II. 7.

3. Iniustum pone sequitur contemptus, et cum ignominia probrum.

4. Aquae profundae sunt forte sermones cuiusquam, rivus largiter fluens fons, ex quo sapientia promanat.

5. Personam iniusti suspicere, est nefas. valet id ad iure fraudandum suo iustum in iure dicendo \*).

6. Labia stulti ad litem prompta sunt, et os eius percussiones in se provocat.

7. Os stulti magno ei detrimento est, et labia eius in vitae discrimen eum adducunt.

8. Sermones obrectatoris sunt quasi vulnerationes \*\*), eaeque penetralia corporis intima feriunt.

9.

\*) Cf. not \*\*) ad Cap. XVII: 26.

\*\*) Vocem מלתחמים in hac tantum sententia, quae et infra C. XXVI. 22. repetitur, obviam interpretes post SCHVLTENSIVM fere omnes ex arab. radice *ṭḥ* per *cupedias*, quae *cupide deglutuntur*,

9. Etiam qui remisse tractat negotium suum, germanus est viri prodigi \*).
10. Turris munita est nomen Iovae, ad eam confugit pius et tutus est.
11. Opes divitis sunt ei urbs quasi munita, et quasi murus editus, ipsius quidem opinione.
12. Ruinae praecurrit fastus \*\*), gloriae vero animi demissio.
13. Qui respondet ante quam audit, habet inde stultitiae probrum.

14. tur, explicarunt: Rectiora vero vidissent, si reddicem <sup>15</sup> consulissent, quae cum in I. tum in VIII. Coni. significat: *carne obductum fuit vulnus*, nomen vero ab hac postrema Coni. descendens: *carnosae cuti capitis inflicturn, nec pericrantium penetrans vulnus*. Hanc iuxta etymologiam itaque מלחמה sunt vulnera, quae levia et facile sanabilia videntur, obque hanc ipsam significationem additur: <sup>16</sup> etc.

\*) i. e. par est prodigo. Sic Cicerō in Orat. *germanos se putant esse Thucydidi*, h. e. pares Thucydidi, et 4. Acad. *germanissimos*, h. e. simillimos *Stoicis*.

\*\*) Cf. C. XVI. 18.

14. Bonus viri animus corporis aegritudinem ei tolerabiliorem reddit, animus vero si depressus fuerit, quis eum eriget?
15. Prudentis mens comparat sibi scientiam, et sapientum auris cupida est eius.
16. Munus hominis amplam ei viam pandit, ad magnates ei aditum parat.
17. Iustus primus quisque, qui causam suam defert, cum venit, quocum lis ei est, tum inquitur in eum.
18. Lites componit sors, interque potentes suum cuique attribuit.
19. Frater offensus urbe munita difficilior est, et dissidia (fraterna) veluti vectis palatii.
20. De fructu oris cuiusquam expletur venter eius \*), quod labiis quisque suis profert, eo satiatur.

21.

\*) Cf. C. XII 14. XIII. 2.

21. Vitae mortisque potestas est penes  
linguam,  
fructu eius vescentur, qui eam caram  
habent.
22. Cui uxor obtingit, boni quid obtingit,  
habetque, cur de Iovae benivolentia  
gaudeat.
23. Supplicibus verbis orat pauper,  
duris respondet dives.
24. Qui multos amicos habet, habet eos in  
suum ipsius detrimentum,  
quamvis amicus magis cuiquam sit  
deditus quam frater.

## CAPVT XIX.

- I. Praestat pauper isque integer vitae  
homini pravo, utut sit crassus \*).

\*) Eadem fere sententia C. XXVIII. 6., estque  
hinc, pro שפתיך legendum esse דרכיך, eo pro-  
babilius, quod non Syrus et Chald. tantum, sed  
plures etiam Codices hanc ipsam lectionem ser-  
vant. Neque vero aequè probabile, pro כסיל  
etiam legendum esse עשיר, cum כסיל, ut pro-  
bavit SCHVLTENSIS ad h. l. etiam spissum  
adipo-

2. Etiam qui sui ipsius cognitione caret,  
male se habet,  
et velox pedibus sine suo excidit \*).
3. Stultitia hominis ipsius est, quae lu-  
bricam eius viam reddit,  
et tamen ille intus Iovae succenset.
4. Opes augment amicorum numerum,  
pauper vero ab amico suo sibi relin-  
quitur.
5. Testis falsus non impune peccat,  
nec subducet se poenae, qui mendax  
est.
6. Multi suppliciter adeunt virum prin-  
cipem,  
omnesque amici sunt munifici.

7.

*adiposum* significare possit, et Salomo studiose  
vocabulo ambiguo usus esse videatur. Hanc ipsam  
ambiguitatem repraesentat quodammodo in ver-  
sione latinum: *crassus*.

\*) Primarius verbi כסיל significatus est: a scopo  
vel via aberrare, ατυχεῖν. Vid. Iob. V. 24. no-  
tamque SCHVLTENSII ad h. l.

7. Omnes si fratres pauperis infensi sunt illi, quanto magis amicorum quisque se ei subducit, urget promissa ipsi data, haec habet \*).
8. Intelligentiam qui sibi comparat \*\*), amat se ipsum, prudentiae regulas qui observat, felix est \*\*\*).
9. Testis falsus non impune peccat, quique mendax est, peribit \*\*\*\*).
10. Non convenit stulto delicate vivere, multoque minus servo, dominari principibus.
11. Prudentis hominis est, longanimum esse, quin honorificum illi, impunitatem dare delicto.

12.

\*) nil praeterea. Sic secundum Keri, secundum Kethib vero: *Prosequitur eum quidem verbis, i.e. precibus, sed nil efficientibus.*

\*\*) Oppositum חסר-לב saepe obvium.

\*\*\*) Ad למצא-טוב cf. not. \*\*) ad C. XVII. 26.

\*\*\*\*) יאבד significantius quam לא ימלט v. 5.

12. Rugitus quasi leonis est ira regis, et veluti ros in herbis eius benevolentia.
13. Calamitosum quid patri suo est filius stultus, et stillicidium quasi perpetuum \*) rixosa uxor.
14. Domus opesque haereditatis iure accipiuntur a patribus, Iovae donum est uxor prudenter se gerens.
15. Pigritia sopore obruit, quique remissi est animi, esuriet.
16. Praeceptorum servans servat semet ipsum, suarum rerum actionumque negligens morietur.
17. Iovae dat mutuum, quod quis gratificatur inopi, isque retributionem eius praestabit ei.
18. Castiga filium tuum, dum spes est, ad interficiendum vero eum absit ut animum tuum inducas.

19.

\*) Comparatio ab ruina et tempestatis, imbrium inprimis, iniuriis, exposita domo mutuata.

19. Qui nimis iracundus est, ipse poenam luet;  
si vero servabis (eum), eius ulterius  
corrighendi copia tibi erit \*).
20. Audi consilium et accepta disciplinam,  
ut in seriori tua aetate sapias.
21. Multae in animo cuiusque sunt cogitationes,  
sed Iovae consilium perstabit.
22. Desiderabile quicquam est cuiquam,  
beneficum esse posse,  
praestantior vero est pauper, quam  
vir mendax \*\*).

23.

\*) Sic fere B. LUTHERUS sensum huius sententiae cepit expressitque in versione vernacula, rectius quam interpretes ceteri cum veteres tum recentiores, qui omnes nodum in scirpo quaesiverunt. Ut C. XV. 18. איש חמה et XXIX. 22. איש-אף *vir iracundus*, sic hic גדל-חמה *nimio irae aestu exardescens*, eadem loquendi forma, qua Nah. I. 3. Deus גדל-כוח dicitur. Monuit Salomo patres ante, ut ne nimio irae aestu usque ad vitae adeo filiorum discrimen abripi se patiantur, huiusque ipsius monitionis αἰτιολογίαν sententia huius v. exhibet.

\*\*) phrasi horatiana: *vano promissor hiatu*.

23. Qui Iovam reveretur, vitae suae consulit,  
satur is omnis boni semper, expers  
omnis mali erit.
24. Condit piger manum suam in paropside,  
idemque ad os suum eam non reducit.
25. Derisorem si plagis affeceris; qui rudis adhuc fuit, erudietur.  
prudentem si correxeris, subtiliorem  
consequetur scientiam.
26. Patrem fortunis suis privat, matrem  
domo expellit  
filius turpis et pudenda committens.
27. Abstine, fili, ab audiendo meliorem  
institutionem,  
tum sane aberrabis a praeceptis scite  
datis \*).

28.

\*) Salomoni semper est *institutio ad virtutem*. Cf. C. V. 23. VIII. 33. XXIII. 12. Itaque non sermo hic esse potest de institutione, quae quem a virtutis via abducatur, sed לשנות est *Infinitivus* par illis, qui v. 8. h. C. itemque C. XVII. 26. et XVIII. 5. adfuerant.

28. Testis malefidus ludibrio exponit ius,  
et iniustorum os deglutit iniquitatem.  
29. Parata sunt derisoribus iudicia damna-  
toria,  
plagaeque imminent stultorum dorso.

## CAPUT XX.

- I. Deludit Bacchus \*), effervescit \*\*) si-  
cera,  
alterutro qui titubare solet \*\*\*), non  
sapiens fiet.

\*) Cum pūeta sacer ipse, quod personae proprium  
est, hic tribuat vino, neminem id offensurum  
esse sperem, Bacchum pro vino poni in versione.  
Eodem tropo apud Latinorum quendam:  
— miti delusus Iaccho.

Rem ipsam, quam per 1<sup>m</sup> 5<sup>m</sup> innuit Salomo.  
C. XXIII. 31. 32. uberius alioque troporum ge-  
nere depingit.

\*\*) Effervescit ipsa et effervescentes reddit potiores.  
Cf. Zach. IX. 15.

\*\*\*) *via* proprie est: *aberrare a via*, quo sensu  
modo aderat Cap. antec. v. 27., ad temulentos  
autem transfertur, quod ii non recta via progre-  
diuntur, sed titubante pede identidem ab ea de-  
clinant.

2. Rugitus quasi leonis est terror regis,  
ei qui se exponit, male consulit vitae  
suae.  
3. Lite supersedere gloriosum homini,  
nonnisi stultus in illam se coniecit \*).  
4. Ob frigidam tempestatem piger non  
arat,  
messis tempore petet, unde vivat \*\*),  
sed incassum.  
5. Aquae velut profundae consilium alta  
hominis mente conditum,  
vir prudens illud inde haurit.  
6. Multi homines suam quisque bonam vo-  
luntatem praedicant,  
virum, cui fides haberi possit, quis  
inveniet?  
7. Integritatem suam vivendi agendique  
ratione probat iustus,  
felices filii eius post eum.  
8. Rex, cum sedet super tribunali,  
cernit oculis suis, quasi cribro, quod-  
vis malum.

9.

\*) Cf. C. XVII. 14. XVIII. 1.

\*\*) Cf. C. XIII. 4. Ps. CIX. 10.

9. Quis dicet: expurgavi conscientiam  
meam  
purus sum ab reatu meo?
10. Duplex pondus duplicemque mensu-  
ram \*)  
abominatur Iova pariter.
11. Suis iam actionibus prodit puer,  
num culpa expers et recta futura sit  
eius agendi ratio.
12. Aurem audientem oculumque viden-  
tem  
Iova est, qui utrumque fecit \*\*).
13. Somnum absit ut ames, ne pauper  
fias,  
apertis sis oculis, tum sat alimenta-  
rum habebis.
14. Nullius pretii rem esse dicit forte  
possessor eius,  
tumque demum, cum iacturam eius fe-  
cerit, de ea gloriatur.

15.

\*) Cap. XI. 1. מאורי מרמה.

\*\*) Quid inde sequatur, scil. quod Ps. XCIV. 8. 9.  
explicite dictum est, relinquit Sal. cuiusque  
iudicio.

15. Auri et margaritarum copia  
et pretiosa supellex est scite loquendi  
facultas.
16. Aufer vel vestem ei, qui pro alio  
spoponderit,  
proque alieno debito eum pignerare.
17. Suavis est cuiquam panis cum iniuria  
acquisitus,  
postea vero os eius silicibus plenum  
erit \*).
18. Cogitata adhibito consilio rata ac  
firma erunt,  
nec sine consiliorum solertia bellum  
gere.
19. Proditor arcani est clandestinus nu-  
gator \*\*),  
hominisque garruli societatem vita.

20.

\*) Quos et comedere et concoquere nemo potest.

\*\*) Cf. C. XI. 13.

20. Qui patrem suum aut matrem probris afficit \*),  
eius lucerna extinguetur in media  
noctis caligine \*\*).

21. Haereditas accelerata primum  
postremo non fortunabitur divinitus.

22. Absit ut de malo rependendo cogi-  
tes \*\*\*),  
in Iova spem pone, is tibi opitula-  
bitur.

23. Abominatur Iova duplex pondus,  
et bilanx fraudulenta est nefas \*\*\*\*).

24.

\*) Cf. Lev. XX. 9. Habet vero verbum *ἵπ* la-  
torem, quam *male dicendi* aut *mala imprecandi*  
significatum. Vid. e. g. II. Sam. XVI. 5. 7.

\*\*) Depingitur hac phrasi summa desperatio, qua-  
lis existere solet, cum in statu iam per se tristi  
et calamitoso satis etiam extrema spei scintillula  
extinguitur. Cf. Cap. XIII. 9. et XXIV. 20.,  
quibus locis inter se et cum hoc collatis per *h-*  
*cernam* spem meliorisque fortunae prospectum de-  
signari clarum est.

\*\*\*) Dent. XXXII. 35.

\*\*\*\*) Sententiae supra v. 10. et C. XI. 1. enuntia-  
tae *αιτιολογια*.

24. Ab Iova dependent fata viri,  
et quis scit, qualem vitae habiturus  
sit cursum.

25. Periculosum est homini, consecrata  
deglutire,  
et postea de votis faciendis cogitare.

26. Cernit quasi cribro nefarios rex sa-  
piens \*),  
rotamque tribularem super illis versat.

27. Lucerna Iovae est anima hominis,  
eaque perquirens vel intima eius pe-  
netralia.

28. Pietas et iustitia \*\*) custodiunt regem,  
probitate fulcit thronum suum.

29. Ornamentum iuvenum est robur eo-  
rum,  
et senum honos canities.

30.

\*) Quod v. 8. de eo, quod *nefas* est, dictum est,  
hic de *nefariis*, qualemque hi sortem habituri  
sint, simul significatur.

\*\*) Vid. not. ad Cap. III. 3.

30. Vulnerum vibices (existunt inde),  
cum quis se ornat malo \*),  
quin plagae ad intimas corporis par-  
tes pertingentes.

## CAPVT

\*) מרוק nomen esse atque ab radice sua מרק  
cui *tergendi, poliendi, laevigandi* significatus  
competit (II. Par. IV. 16. Ier. XLVI. 4. Lev. VI.  
28.) munditiei et ornatus, muliebris praesertim,  
significatum traxisse, ex Esth. II. 3. 9. clarum  
est. Idem igitur vocabulum, Salomon ex gynae-  
ceo familiare, hic recte ab eo ad *ornatum* uni-  
verse translatum esse videtur. Sensus itaque  
sententiae hic est: *Cum quis se ornat peccato*,  
quod faciunt ii, qui cum sibi ipsis placent pec-  
cantes, tum aliorum laudem et applausum captant,  
vere elegantes, quod esse sibi videntur, ad-  
eo non sunt, ut sibi potius *livorem et vul-*  
*nera inde contrahant*, quae non externas tan-  
tum corporis eorum partes dehonestent, sed *ad*  
*interiores etiam pertingant* adeoque lethalia sint.  
Ut nimirum C. XVIII. 8. מלתחמים *vulnera*,  
*quae levia tantum esse videntur* per adiecta  
verba: ורדו חררי-בטן strictius designan-  
tur, sic hic ורדו חריות פצע per idem additamentum.  
Quoad rem conferri cum nostra sententia possit  
Graecorum adagium: συνεσθαις πληττει την  
ψυχην.

## CAPVT XXI.

1. Velut aquaeductus \*) regis animus  
est sub lovae potestate,  
quocunque is vult, eum flectit.
2. Sua cuique ratio proba esse videtur,  
sed lova iustus est animorum aesti-  
mator \*\*).
3. Facere, quod iustum iurique consen-  
taneum est,  
acceptius est lovae, quam sacrificium.
4. Altum supercilium, animusque infla-  
tus et tumens \*\*\*),  
spes \*\*\*\*) item improborum in vitio  
est.
5. Cogitate suscepta a sedulo — haec de-  
mum abundantiam,  
nonnisi egestatem afferunt praepra-  
pere festinata.

6.

\*) פליג-מים non rivus, sed canales ad aquam  
quaquaversum derivandam ductos esse, vel ex  
etymo clarum est. Vid. MICHAELIS Supplem.  
ad voc. פליג.

\*\*) Eadem fere sententia C. XVI. 2.

\*\*\*) Cic. III. Tusc. Si igitur inflatus et tumens  
animus in vitio est, sapientis autem animus sem-  
per vacat vitio, nunquam turgescit, nunquam  
tumet.

\*\*\*\*) Vid. not. ad C. XX. 20,

6. Thesauri congesti cum fraudulentia sunt vapor evanescens, eorumque qui morti se obiciunt.
7. Interitus improborum abripiet eos, renuunt enim facere, quod iuris est.
8. Cuius vivendi agendique ratio perversa est, universe peccator est\*), culpa vacat, cuius recta est agendi ratio.
9. Melius est habitare in tecti angulo, quam in communi cum rixosa uxore habitaculo esse.
10. Iniusti animus praeoptat malum, commiseratione ei non dignus videtur vel amicus eius.
11. Ex mulcta derisoris sapit, qui rudis adhuc fuit, sapiens si docetur, consequitur scientiam.

12.

\*) Notandus vocabulorum delectus. \* מן est α. λ. lucem vero accipit ex arab. *مِن*, et, quod oppositum מן etiam innuit, absque dubio *hominis criminibus gravati et peccatoris* generatim vim habet. Utitur autem hoc vocabulo rariori Sal. for-

12. Documentum capit iustus ab iniusti domo;  
Est, qui praecipites dat \*) iniustos in infortunium.
13. Obturans aurem suam, ne inopis clamorem audiat, etiam ipse clamabit, nec exaudietur.
14. Largitio clandestina avertit iram, et munus in sinu allatum vehementem aestum.
15. Iusto laetabile est facere, quod iuris est,  
at calamitosum quid facinorosis \*\*).
- 16.

fortasse ob paronomasiam, quam faciunt מן in priori et מן in altero sententiae membro, quod figurae genus amat inprimis acutum sententiarum genus.

\*) מכלה est participium indefinitum et impersonale, quod dictionis genus non inusitatum in Orientis linguis fuisse probant exempla Dan. III. 4. IV. 28. 29. 30. VII. 5. Explicat membrum posterius, quomodo iustus ab iniusti domo documentum capiat, ab infelici quippe eius casu, qui serius ocus sit consecuturus.

\*\*) Cf. Cap. X. 29.

16. Homo, qui ab rectae intelligentiae  
via aberrat,  
in inferorum coetu sedem suam ha-  
bebit \*).

17. Egenus fiet, qui amat delectationes,  
vinum et unguenta qui amat, non  
ditescet.

18. Pretium pro iusto est homo nefarius,  
et pro recte viventibus praevari-  
cator \*\*).

19. Melius est habitare in terra inho-  
spita,  
quam uxorem rixosam et iracundam  
habere \*\*\*).

20. Optabilis thesaurus oleumque in sa-  
pientis habitaculo,  
at stultus homo abligurit id, quid-  
quid est.

21.

\*) Cf. Cap. XV. 24.

\*\*) Cf. C. XI. 8.

\*\*\*) Plus dicit in utroque membro haec gnome,  
quam superior v. 9.

21. Qui iustitiae et beneficentiae studio-  
sus est,  
vitam, digna item virtutis praemia \*)  
et honorem consequetur.

22. Urbem a fortibus defensam expugnat  
sapiens,  
soloque aequat munimenta, quibus  
confidebat \*\*).

23. Qui a temere loquendo sibi cavet,  
cavet sibi ab animi angoribus \*\*\*).

24. Protervus idemque arrogans\*\*\*\*), qua-  
lis derisor est,  
pro intemperantia istius affectus agit,  
quae agit.

25. Piger immoritur desideriis suis,  
quod manus eius laboris impatientes  
sunt.

26. Quotidie is alia atque alia cupiditate  
solicitatur,  
Iustus contra largitur, nec parcit.

27.

\*) Cf. not. \*\*) ad Cap. VIII. 18. et quoad rem Ps.  
CXII. 5 fs.

\*\*) Eadem forma grammatica Ier. XLVIII. 13.

\*\*\*) Cf. C. XIII. 3.

\*\*\*\*) Cf. Hab. II. 5. In Chald. יָדִיר *superbus*,  
יְהִירָה *superbia*, אֲתִירָה *superbe, arroganter*,  
*insolenter se gerere*.

27. Sacrificia improborum abominabile  
quid,  
quanto magis, si mala fide offeruntur.

28. Testis mendax peribit \*),  
qui vero audit \*\*), iterum iterumque  
testabitur.

29. Obfirmat frontem suam vir improbus,  
probus ad rectae rationis normam se  
accommodat.

30. Nil quicquam sapientia, nil pru-  
dentia,  
nil denique consilium valet adversus  
Iovam,

31. Paratur quidem ad diem pugnae equi-  
tatus,  
sed Iovae est victoria.

CAPVT

\*) Cf. Cap. XIX. 5. 9. Non probabile est, אֵלֹהִים  
allum hîc, quam illis in locis sensum habere.

\*\*) i. e. non prius loquitur, quam, quid verum  
sit, certo resciverit. Videtur quippe in hac  
sententia alterutrum membrum ex altero sup-  
plendum esse sic: qui vero audit prius et tum  
demum loquitur, in perpetuum loquetur vicissim-  
que audietur atque pro teste fide digno habebi-  
tur. Respexisse etiam ad hanc ipsam Sal. sen-  
tentiam eamque hoc ipso sensu sumsisse videtur  
Iacobus C. I. 19.

## CAPVT. XXII.

1. Divitiarum amplitudine praestabilius  
nomen,

argento aurove favor.

2. Dives pauperque sibi mutuo occurrunt,  
Conditor illorum omnium Iova.

3. Cautus praevidet malum et abdit se,  
imprudentes poenas dant levitatis.

4. Praemium demissi religiosique animi  
divitiae, honos et vita.

5. Sentes et laquei sunt in via perversi,  
qui vitae suae cavet, pedem ab istis  
revocat.

6. Puerum si imbueris iis, quae vitae eius  
cursui conveniunt,  
etiam, cum senuerit, ab isto vivendi  
more non recedet.

7. Dives est dominus pauperum,  
servusque mutuum accipiens mutuum  
dantis.

8. Qui serit iniustitiam metet tristitiam\*),  
et virga eius saeviens abolebitur.

9.

\*) אִשׁ non iniquitatem tantum, sed et tristitiam  
luctum, dolorem significare, patet ex locis Gen.

9. Benevolo contra bene succedent res  
suae,  
quia de pane suo dat egeno.

10. Derisorem si expuleris, exhibit simul  
contentio,  
cessabit lis et ignominia.

11. Qui mentis puritatem amat,  
gratiam oris, amicum regem habebit.

12. Iova ipse oculis notat foveatque scien-  
ter dicta,  
reprobatque sententias perfidi cuius-  
que.

13. Praetexit suae pigritiae piger, leonem  
esse foris,  
in locis frequentissimis se necatum iri.

14. Fovea profunda est os adulterarum,  
iratum Iovam habet, qui in illam in-  
cidit.

15.

XXXV. 18. Deut. XXVI. 14. Hos. IX. 4. Hoc  
igitur sensu si sumatur vocabulum, membrum  
posterius sententiae priori satis commode respon-  
det. Rectius autem fortasse Masorethae פון  
punctassent. Vid. MICHAELIS Supplem. ad h.  
v. nr. 4.

15. Sultitia vinclo quasi annexa est pue-  
rili indoli,  
virgae castigatricis est, illam inde  
eximere.

16. Qui tenuem opprimit, ad augendas  
suas opes,  
qui largitur diviti, pariter indigentio-  
res tantum inde fient \*).

[17. Attenta aure audi effata sapientum,  
applicaque animum tuum ad doctri-  
nam meam;

18. Iucundum enim erit, si servabis ea  
apud te \*\*),  
eorumque omnium docendorum facul-  
tate etiam ipse instrueris.

19. Erit porro in Iova fiducia tua col-  
locata;  
hoc est, quod ego tibi notum facio  
hodie, tibi inquam \*\*\*),

20.

\*) Uterque, cum qui ipse pauperem opprimit, tum  
qui iudicem ad idem faciendum largitionibus cor-  
rumpit, eundem ditescendi finem habet, eodem  
itaque etiam eventum id facit.

\*\*) בחר לבבך idem, quod בבטןך C. IV. 21.

\*\*\*) "Suffixo, obliquo igitur pronominis casui, af-  
fectus gratia, additur nonnunquam pronominis sepa-  
rati forma, quae in casu recto frequentior quidem  
est, obliquo tamen certe etiam convenit". sunt  
verba STORRII in Observ. ad analog. et synt.  
hebr.

20. Nonne vero praescripsi tibi iam dudum,  
quae ad consulendum tuis rebus scientiamque prosint,
21. Ut te docerem, quod rectum est, praecepta verissima, tuque vicissim respondere possis ex vero iis, qui te consulunt] \*).
22. Pauperem (igitur) ne dispolies, quia pauper est, neque opprimas inopem in iudicii loco;
23. Iova enim causam eorum aget, percutietque percutientes eos \*\*) lethali ictu.
24. Homini iracundo cave socium te adiungas, cumque ad iram prono nihil commercii habe.

25.

hebr. p. 432. Cf. Gen. XXVII. 34. II. Sam. XIX. 1. I. Reg. I. 26. XXI. 19.

\*) Quae a v. 17—21. parenthesi inclusa sunt, aut fragmentum aliunde huc translatum, aut interlocutio Salomonis ipsius sunt, ad monitionem de pauperibus non opprimendis v. 16. incoatam et deinceps (v. 22.) continuandam eo firmiter imprimendam.

\*\*) Vid. Excurs. II,

25. Ne eius agendi rationi assuescas, inque vitae adeo discrimen te inferas.
26. Ne sis inter eos, qui manu data fidem interponunt, inter eos, qui spondent pro debitis;
27. Quod, si non habueris, quo solvas debitum, quare auferat quis lectum tuum subter te?
28. Ne loco suo moveas terminos antiquos, quos constituerunt maiores tui.
29. Si virum vides promptum suis in negotiis, is regibus potius, quam ignobilibus ad obsequium praesto erit.

## CAPUT XXIII.

1. Si ad epulandum cum dominatore sedes, probe expende, cuius in praesentia verseris;
2. Cultrum porro gutturi tuo admotum puta, si appetitus te stimulabit tuus;

3.

3. Quantumvis opiparae sint illae dapes,  
cave illas cupias,  
Fraudi enim tibi esse possit ille cibus.
4. Ne ad ditescendum te defatiges,  
abstine inde pro tua prudentia.
5. Quid speculando persequeris, quod  
quasi alis se amicit et abit,  
aquilae more caelum versus avolat.
6. Absit, vt conviveris cum invido,  
aut dapes eius lautiores appetas.
7. Nam, ut intus sentit, sic revera est \*),  
edere et bibere te quidem iubebit,  
sed animo minus benevolo erga te.
8. Buccellam, quam comedisti, evomes,  
verborum item tuorum amabilitatem  
incassum profudisti.

9.

\*) non qualis simulata humanitate videri vult.  
Aliud vultu ac voce simulat, aliud corde premit.  
Verba שער כמו שער Symmachus ut simplicis-  
sime, sic sine dubio verissime vertit per ως ἀμα-  
ρτων ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ. Idem enim verbum  
שער etiam apud Arabas in I. et X. Coni. signi-  
ficatum existimandi, censendi habet, in ver-  
sione arab. Prov. XVII. 28. ad vertendum ebr.  
יחשב adhibitum est, et Act. XVII. 29. graeca  
νομιζέω respondet.

9. Audiente stulto ne loquaris,  
temnet enim verborum tuorum pru-  
dentiam.
10. Ne loco suo moveas terminos anti-  
quos \*),  
inque pupillorum agrum absit, ut  
invadas.
11. Vindex enim eorum est potens,  
isque causam eorum aget contra te.
12. Adverte ad disciplinam animum  
tuum,  
auresque tuas ad praecepta scite data.
13. Disciplinae in puero adhibendae ne  
parcas,  
si verberaveris eum virga, non mo-  
rietur,
14. Tu verberas eum virga,  
animamque eius servas ab orco.
15. Animus tuus si sapit, mi fili,  
laetabitur meus, ego, inquam, lae-  
tabor \*\*).
16. Quin ad exultationem usque perfun-  
dar laetitia,  
cum labia tua loquentur, quae omnino  
recta sunt.

17.

\*) Cap. antec. v. 28.

\*\*) Vid. not. ad Cap. antec. v. 19.

17. Ne zelo nimio inflammetur \*) animus  
tuus in peccatores,  
pro religione potius, nullo non tem-  
pore.
18. Quodsi enim ingruerit finis \*\*),  
spes tua non decollabit.
19. Audi itaque, mi fili, et sape,  
animumque tuum accurate ad hanc vi-  
vendi rationem informa.
20. Ne sis cum vini potoribus,  
cum iis, qui libidinose vivendo cor-  
poris prodigi sunt;
21. Nam et vini potor et libidinosus pau-  
per fiet,  
lacerisque vestibis induit somnolentia.
22. Obtempera patri tuo, genitori  
quippe tuo,  
nec temne, cum consenuerit, matrem  
tuam.
23. Veritatem tibi compara, nec vende,  
sapientiam, virtutem et prudentiam.
24. Exultat gaudio pater virtute praediti,  
quique sapientem genuit, laetatur  
de eo.
25. Fac laententur parentes tui,  
et, quae te genuit, exultet.
26. Trade te mihi, mi fili, luberti animo;  
et, quae tibi praescripsi, arrideant  
tibi;

\*) Vid. not ad Cap. III. 31.

\*\*) Cf. Ps. LXXIII. 17.

27. Nam fovea profunda quasi est me-  
retrix,  
et puteus angustus quasi mulier aliena;
28. Quin illa, veluti mors \*), insidiatur,  
augetque inter homines praevarican-  
tium numerum.
29. Cuiusnam est, exclamare heu, cuius-  
nam eheu,  
cuiusnam contentiones, cuiusnam que-  
relae,  
cuiusnam vulnera incassum accepta,  
rubor denique oculorum?
30. Eorum, qui vino immorantur \*\*),  
veniuntque ad gustandum vinum  
mixtum.
31. Ne intuearis vinum, quod rubet, quod  
splendescit in calice,  
insinuat se illud ori facillime;
32. Sequitur, ut mordeat, ceu serpens,  
et basilisci more pungat,
33. oculi tui requirent alienas uxores,  
cumque animi prolubio perversa lo-  
queris,
34. erisque perinde ac in alto mari,  
aut in mali nautici vertice dormiens.

\*) Vid. Excurs. III.

\*\*) Cf. Ies. V. 11.

35. "Percutiunt me, inquires, nec sum aeger, tundunt me, nil sentio, quando edormiero vinum, idem de- nuo repetiturus!"

## CAPVT XXIV.

1. Nec zelo nimio inflammeris in malos homines \*), nec esse cum illis desideres;
2. Perniciem enim meditatur animus eorum, et labiis suis proferunt, quae mo- lestiam creant.
3. Per sapientiam exstruitur domus, per prudentiam illa se consolidat,
4. Scita agendi ratione porro conclavia explentur pretiosis quibusque speciosisque opi- bus.
5. Vir sapiens fortis est, vir peritus vires confortat;
6. consiliorum enim solertia feliciter bel- lum geres, et in consiliariorum multitudine sita est victoria.

\*) Vid. not. ad C. III. 31. et cf. v. 17. super. Ca- pitis.

7. Captum stulti transcendit sapientia, in foro os suum aperire nescit.
8. Qui ad facinora patranda solers est, eum scelerum artificem nominarint.
9. Quod per stultitiam excogitatur \*), est aberratio \*\*), abominabile vero in homine \*\*\*), est, si derisor sit,
10. Si calamitoso tempore animum de- spondes, calamitosa est vis tua.
11. Eripe captos ad mortem, et nutantes ad supplicium, si inhi- bendi vim habes \*\*\*\*).

12.

\*) In עוֹלָהּ est oxymoron; עוֹלָהּ enim, ut מוֹמָה, in se non sunt hominis stulti, cf. C. I. 4. III. 21. VIII. 12. Job. XVII. 11.

\*\*) Ab recta quippe cogitandi sentiendique ratione. Aberrandi sensus primitivus est verbi דוֹכָא (C. XIX. 2.) idemque hic etiam ad nomen דוֹכָא translatus esse videtur.

\*\*\*). Ad verbum: quodd hominem.

\*\*\*\*) Verba apud Ebraeos non tantum actum, sed etiam agendi potestatem, ius vel copiam non raro, praesertim in Futuris, significant. Vid. e. g. אֶרֶץ II. Reg. V. 12. יוֹסֵף Iud. XVI. 10. 13. Ad sententiae argumentum cf. historia Susannae.

12. Dixeris forte de aliquo: non noveramus hunc;

Enimvero, qui probat animos, est, qui id diiudicabit, vitaeque tuae arbiter, is sciet, et rependet cuique secundum opus suum.

13. Comede, mi fili, mel, nam bonum est, et favum, quod dulcis tibi ad palatum est,

14. non minoris vero sapientiae cognitio sit animo tuo; quam si consecutus fueris, finisque ingruerit, spes tua non decollabit \*).

15. Absit, ut insidieris iniusti more habitaculo insti, aut vastes cubile eius;

16. nam vel septies cadet iustus et resurget, iniusti contra subito casu ruent in infortunium.

17. Si ceciderit inimicus tuus, ne laeteris, subitoque casu si infelix fiat, ne effararis gaudio,

18.

\*) Idem, quod C. antec. v. 18. dictum.

18. ne, si viderit Iova, displicueritque illi,

avertat ab eo iram suam.

19. Ne ira in malitiosos, aut zelo nimio adversus nefarios excandescas \*);

20. nihil enim in fine expectandum est homini malo, lucerna quippe nefariorum extinguetur \*\*).

21. Reverere Iovam, mi fili, et regem, cum rerum novarum cupidis noli te iungere;

22. der repente enim ingruet exitium eorum, quamque improvisa superveniet ambobus \*\*\*) perniciēs!

\* \* \*

Etiam, quae sequuntur, sunt sapientum effata \*\*\*\*):

23.

\*) Vid. not. ad v. 1.

\*\*) Oppositum לא חכמה תוקד supra v. 14. Per lucernam nempe etiam hic spes intelligenda. Conf. not. \*\*) ad Cap. XX. 20.

\*\*\*) Tam novatoribus quam iis, qui se associant illis.

\*\*\*\*) Sunt appendicula ad finitam cum v. 22. partem secundam libri.

23. Personam suspicere in iure dicendo  
est nefas \*).
24. Qui iniustum iustum esse declarat,  
eum execrabuntur populi, detestabun-  
tur nationes;
25. Iucunda vero sors obtinget redar-  
guentibus,  
et ex voto illis fluent omnia;
26. Labia velut alterius osculatur,  
cuius responsa sunt aequitati consen-  
tanea.
- 
27. Dispone prius foris, quae opus sunt,  
agrique cultu ea para.  
tum demum exstrue domum tuam.
- 
28. Absit, ut iniquus sis testis contra al-  
terum,  
fraudique cuiquam sis testimonio tuo.
29. Absit, ut par pari referre velis,  
aut, quod tibi quisquam fecit, repen-  
dere.
- 
30. Iuxta agrum hominis pigri transi-  
bam,  
iuxtaque plantarium hominis insi-  
pientis \*\*),

\*) Cap. XVIII. 5.

\*\*) Cf. וְדָבָר C. VI. 6. Sapientis est, quae ven-  
tura sunt, providere rebusque suis prospicere.

31.

31. et ecce in eo, quantus quantus est, in-  
creverant cardui, obtectus erat urticis,  
murisque eius lapideus collapsus.
32. Intuebar ego atque ad animum revo-  
cabam,  
documentumque inde capiebam.
33. Paulum adhuc dormitationis, paulum  
soporis,  
paulum manus complicare ad vacan-  
dum quieti, (inquis, o piger!)
34. et superveniet tibi, ut peregrinator,  
pauperies tua,  
et ceu furiosus homo, egestas tua \*).

\* \* \*

# C A P V T XXV.

1. Sententiae, quae sequuntur, non minus  
sunt Salomonis, quas huc transtule-  
runt, qui Hiskiae, regis Iudae, rebus  
praeerant.
2. Gloriosum Deo, quod secreta esse vult  
sua decreta,  
regibus gloriosum, quid decernen-  
dum sit, scrutari.
3. Ut coelum qua sublimitatem et terra  
qua profunditatem,  
sic mens regum impervestigabilis.

4.

\*) Cf. eandem prosopopoeiam supra C. VI. ro. II.  
et quae ad illam notata sunt.

H

4. Removendo scorias ab argento  
prodit, ex quo fusor vas formare  
potest;
5. Removendo iniustum quemque ab rege,  
stabilitur per iustitiam thronus eius.
6. Noli arrogans esse in conspectu regis,  
inque magnatum locum ne te inferas;
7. Praestat enim ad altiorem te gradum  
vocari,  
quam humiliari coram principe,  
ad cuius conspectum enixus eras \*).
8. Cave, praepropere litem cuiquam in-  
tendas, ne — \*\*)   
quid enim facies, si evenerit,  
ut ignominiae maculam tibi adspergat  
socius litis?
9. Age causam tuam cum socio tuo,  
cave tamen secretum alterius prodas,

10.

\*) i. e. apud quem summum dignitatis aulicae gra-  
dum ambieras. Il enim, qui proximi regi erant,  
dicebantur ראי פני- מלך II. Reg. XXV. 19. Ier.  
LII. 25. Esth. I. 14. Sub נריב igitur hic princeps  
נער' εζοχου, i. e. rex ipse, intelligendus. Cf.  
C. XIX. 6.

\*\*) Suppl. male tibi cedat illa. Est aposiopesi,  
qualis Ps. VI. 4. in ער- מתי, aut Virgiliana:  
Quos ego — Aen. I.

10. ne probro te afficiat, qui id audiet,  
et infamiae notam perennem tibi con-  
trahas.
11. Poma quasi aurea in caelaturis ar-  
genteis  
sententia opportune dicta \*).
12. Ceu annulus aureus aureumque mo-  
nile  
auri lubenti est, qui sapienter repre-  
hendit.
13. Ut frigus nivis \*\*) messis tempore, mi-  
nister fidus mittentibus eum,  
animum quippe domini sui reficit.
14. Ut nubes accedente vento pluviam  
non fundunt \*\*\*), (sic est),  
qui gloriose et mendaciter dona pro-  
mittit.
15. Patientia flectitur princeps,  
et lingua mollis vel ossa confringit.
16. Si mel invenis, comede de eo, quan-  
tum convenit tibi,  
ne, si satur eius sis, evomas illud;

17.

\*) Absque tropo: דבר בעתו C. XV. 23.

\*\*) i. e. potus nive refrigeratus. Vid. SCHNVRERI  
Obs. ad quaedam loca Prov. Sal. Tub. 1776.

\*\*\*) Quia ventus dispellit nubes.

17. Nec minus parce et continenter invise  
amicum tuum,  
ne, si satur tui sit, invisus ei fias.

18. Mallei et gladii et acutae sagittae in-  
star est,  
qui falsi contra amicum suum testis  
partes suscipit.

19. Dentis fracti et pedis vacillantis  
instar.  
perfidii hominis confidentia tempore  
calamitoso.

20. Quod fit, si quis vestem deponit tem-  
pestate gelida,  
aut acetum nitro affundit \*);  
idem \*\*), si quis tristi homini cantica  
occinat \*\*\*).

21. Inimicum tuum pane ciba, si esurit,  
sique sitit, aqua pota;

22.

\*) Illud frigoris acriorem sensum, hoc malum odo-  
rem efficit.

\*\*) ; comparationi inservit. Sic etiam v. 25. et  
saepe in sqq.

\*\*\*) Cf. Rom. XII. 15.

22. quod si feceris, prunas congeres super  
capite eius \*),  
idque Iova remunerabitur.

23. Aquilo pluviam parit,  
et faciem indignabundam maledicen-  
tia clandestina.

24. Praestat habitare in tecti angulo,  
quam in communi cum rixosa uxore  
habitaculo \*\*).

25. Quod aqua frigida homini exhausto,  
id nuntium bonum ex terra longe  
remota.

26. Ceu fons conturbatus et scaturigo  
corrupta,  
iustus coram iniusto labascens.

27.

\*) Erit ei intolerabile, benefactorem offendisse, vi-  
cissimque ad amorem accendetur. Conf. Rom.  
XII. 20.

\*) Eadem sententia supra C. XXI. 9.

27. Mellis nimium comedere noxium,  
et scrutandis difficilioribus intentum  
esse \*), arduum.
28. Urbs rupta nullove muro cincta (est),  
qui motuum animi sui est impotens \*\*).

## CAPVT XXVI.

1. Ut nix tempori aestivo, et pluvia  
messi,  
sic honor stulto minime convenit.
2. Ut passer aufugit, et hirundo avolat,  
sic maledictum immeritum in ventum  
abit.

3.

\*) כבוד aut idem est, quod כבוד cum ׀ pa-  
ragogico (cf. STORRII Observ. p. 443.), aut  
legendum est, praeceuntibus, ut videtur, LXX,  
qui per λογους ενδοξους verterunt, כבודות. Acu-  
men sententiae est in voce כבוד, quae proprie  
onus et quidem grave ac difficile, et translate  
demum, quanquam hic significatus usu frequen-  
tior est, honorem et gloriam denotat, quale  
etiam supra in voc. אולה observatum C. XIV. 24.  
Docet sententia, dulce difficili et difficile dulci  
temperandum esse, ut in illo Horatiano:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.  
\*\*) Cf. C. XVI. 32.

3. Flagellum equo, fraenum asino \*),  
et virga stultorum tergo.
4. Noli respondere stulto pro stultitia sua,  
ne similem illi tu et ipse te geras.
5. Responde stulto pro stultitia sua,  
ne ipse sibi sapiens videatur.
6. Pedes sibi praesecat, nec parum in-  
iurius est \*\*),  
qui stulto mandat negotia.
7. Elevatio \*\*\*), quasi crurum a claudo  
tentata,  
sententia in ore stultorum.
8. Constringit quasi lapidem in funda \*\*\*\*),  
qui stulto honores defert.
9. Ut spina, quae ebrii manum pun-  
git \*\*\*\*\*),  
sic sententia in stultorum ore.

10.

\*) Cf. Ps. XXXII. 9.

\*\*) Similis phrasia Iob. XV. 16. XXXIV. 7.

\*\*\*), חילוי nomen esse videtur formae שקוי, trans-  
positis ' et '.

\*\*\*\*), מרגמה LXX. Chald. Syr. et Arab. per fundam  
verterunt, recte sine dubio, nam comparatio  
haec est: Quemadmodum, qui lapidem fundae  
sic alligat, ut exire ex ea non possit, nihil fe-  
rit, sic honores in stultum collati huic non vere  
competunt. Manet stultus omnium sapientum  
iudicio.

\*\*\*\*\*), Sic fere עלה usurpatum Iud. XIII. 5. Ut  
ebrius spinæ ictum non sentit, sic stultus acu-  
men acute dicti.

10. Ut sagittarius \*) temere vulnerans omnes,  
sic conducens stultum, conducens praetereuntem quemvis.
11. Ut canis revertitur ad id, quod vomuit,  
sic stultus repetit stultitiam suam.
12. Si vides quenquam, qui sapiens sibi videtur,  
de stulto plus spei, quam de eo.
13. Praetexit suae pigritiae piger, leonem obviam venturum,  
leonem esse in locis adeo frequentissimis \*\*).
14. Ceu ianua vertitur super cardine suo,  
sic piger super lecto suo.

15.

\*) Nominis רב Plur. occurrit Ier. L. 29. Iob. XVI. 13. et radix eius Gen. XLIX. 23. Mirum est, tam difficilem visam esse sententiam huius v. interpretibus etiam perspicacissimis. Est illa iis dicta, quorum est munera conferre, qui, si indignos iis ornent, similes sint sagittario, qui obvium quemque promiscue suis tellis feriat. Ulterius illustrat, quod per דמם שחת supra iam v. 6. dictum est.

\*\*) C. XXII. 13.

15. Condit piger manum suam in paropside \*),  
lassior est, quam ut eam referret ad os suum.
16. Sapientior sibi videtur piger,  
quam septem responsitantes.
17. Aures quasi canis vellicat,  
qui transiens forte immiscet se liti non suae.
18. Ut, qui quasi iocando \*\*) iaculatur sagittas \*\*\*),  
tela et mortem;
19. sic, qui alterum deludit \*\*\*\*) tumque iocatum se esse dicit.
20. Deficiente ligno extinguitur ignis,  
atque, ubi nullus est obtretratot, cessat contentio.
21. Ut carbonēs ad prunas admoti, et ligna ad ignem,  
sic vir contentiosus litem ferventiorē reddit.

22.

\*) C. XIX. 24.

\*\*) מְחַלְחֵל α. λ. a. חֵלָה, cui cognatum certe arab. حَلَا, iusit iocatus est.

\*\*\*) A זנק. quod verbum Syris: iecit sagittam.

\*\*\*\*) Manifeste hic רמה de eo decipiendi genere intelligendum, cum quis alterum lepide ludificat.

22. Sermones obtrektoris sunt quasi vul-  
nerationes,  
eaeque penetralia corporis intima fe-  
rientes \*).
- 
23. Argentum scoriosum testae superin-  
ductum  
sermones benevoli cum animo male-  
volo.
24. Loquens dissimulat, quis sit, ini-  
micus,  
atque intus dolum struit.
25. Quodsi etiam blande loquatur, ne fi-  
dem habeas ei,  
quod abominabilia quaeque corde  
tegit.
26. Utut occultet se simulas dolose,  
manifestabitur tamen malitia eius pa-  
lam.
27. Qui fodit foveam, in illam incidit,  
et si quis lapidem volvit, in ipsum re-  
labitur.
28. Qui lingua mendaci est, odit, quos  
premit,  
quique blandienti ore est, labefacit.

CAPVT

\*) Eadem sententia C. XVIII. 8.

## CAPVT. XXVII.

1. Ne gloriare de die crastino,  
nescis enim, quid pariturus sit dies.
2. Laudet te alius, nec tuum ipsius os,  
peregrinus, nec tua ipsius labia.
- 
3. Ponderosum quid lapis et grave quid  
sabulum,  
gravius vero utroque indignatio stulti:
4. Immane quid succensio, et velut inun-  
datio ira,  
Zelotypiam vero quis sustinere poterit?
- 
5. Tolerabilior est reprehensio publica,  
quam amor dissimulatus celatusque:
6. Fidae sunt ab amico inflictæ plagæ,  
inimici vero osculationes sunt offen-  
siones \*):
- 
7. Homo satiatum vel favum respuit,  
famelico vel amarum est dulce.
8. Ut avis nido suo expulsa huc illuc vo-  
litat,  
sic homo locum suum relinquens in-  
certus vagatur.

\*) Vid. Excurs. IV.

9. Unguenta et suffimenta ad delectationem sunt cuiquam,  
dulcior vero amicus eius propter consilii sinceritatem.
10. Amicum tuum tuique patris amicum ne deseras,  
inque domum fratris tui ne eas tempore infortunii tui,  
melior enim vicinus, qui prope tibi,  
quam frater, qui procul est\*).
11. Sape, mi fili, et delecta animum meum,  
ut habeam, quod respondeam ei; qui probro me lacessierit.
12. Cautus, cum praevidet malum, abdit se,  
imprudentes poenas dant levitatis\*\*).
13. Aufer vel vestem ei, qui pro alio sponderit,  
proque alieno debito eum pignere rare\*\*\*).

14.

\*) C. XVIII. 24.

\*\*) Eadem sententia C. XXII. 3.

\*\*\*) Etiam haec sententia adfuit C. XX. 16.

14. Qui laudat alterum cum nimium tum iusto maturius,  
pro vituperio id ei reputabitur.
15. Stillicidium perpetuum\*), quale est,  
cum imber decidit,  
et uxor rixosa aequaliter se habent.
16. Qui cohibere eam conatur, ventum cohibet,  
aut oleum manu sua continere conatur\*\*).
17. Ut ferrum acuit ferrum,  
sic forte persona personam perpolit.
18. Qui ficum suam curat, fructu eius vescetur,  
et qui herum suum observat, honorabitur.

19.

\*) C. XIX. 13.

\*\*) Verba actum significantia saepe de conatu tantum intelligenda, ut *exscindentes me* Ps. LXIX 5. יָמִינוּ יָקָרָא LUTHERVS vertit: *mit der Hand fassen*, optime, nam arab. قَرَأَ etiam colligendi manumque tenendi significatum habet. Est locutio proverb. similis graecorum: κοινῶν ὕδαρ ἀντλῆν ἢ ἐπιφῆσιν, *aquam cribro haurire*, tantundem itaque valet, ac oleum et operam perdere. Vid. MÜNTINGHE Spr. Sal. ad h. l.

19. Qualis faciei ad faciem in aqua ratio  
est,  
talis cordis humani ad aliud.
20. Orcus et inferorum locus non satian-  
tur,  
nec magis oculi satiantur hominum.
21. Conflatorium argento, et catinus  
auro \*),  
sic quisque pro laudabiliter ab ipso  
factis probatur.
22. Si stultum vel pistillo inter grana con-  
tuderis in mortario,  
non recedet ab eo stultitia eius.
23. Fac singularum ovium tuarum ratio-  
nem habeas,  
animum ad greges attentum habe.
24. Opes enim non durant in sempiter-  
num,  
nec vel diadema in omnes aetates.
25. Promicat gramen et conspiciuntur  
herbae,  
colligunturque pabula montium.

26.

\*) C. XII. 10.

26. Agni vestimenta tibi suppeditant,  
et pretium agrorum capri,  
27. sat lactis caprae ad te alendum tuos-  
que,  
victumque praebendum puellis tuis \*).

## CAP V T XXVIII.

1. Fugiunt, nemine persequente, iniusti,  
iusti leoninam quasi fiduciam habent.
2. Per defectionem civium multi existunt  
principes,  
per prudentem providumque aliquem  
status rerum durat.
3. Vir pauper iamque opprimens tennes  
quasi pluvia destruens sic, ut ali-  
menta deficient.
4. Qui deficiunt ab lege, laudant im-  
probos,  
qui observant eam, illis bellum in-  
ferunt \*\*).
5. Homines mali non diiudicant, quid  
iuris sit,  
Iovae qui addicti sunt, recte indicant  
de omnibus.
- 6.

\*) Servis agrorum armentorumque, puellis gregum  
maxime cura commissa erat.

\*\*) Cf. Deut. II. 5. 9. 19.

6. Praestat pauper, isque integer vitae,  
perverso ancipitisque vivendi rationis  
homini utut diviti \*).

7. Qui legem observat, prudens inde  
evadet,  
qui libidinis se associat, ignominia  
afficit patrem suum.

8. Qui foenore et usura auget opes suas,  
ei, quem miseret inopum, eas colligit.

9. Qui aurem suam avertit ab audienda  
doctrina,  
eius vel preces sunt abominabiles:

10. Qui recte viventes in viam malam  
seducit,  
in foveam suam ipse (primus) incidet,  
in integritate vero sua perseverantes  
sors beata manet.

11. Sapiens sibi videtur vir dives,  
inops vero isque prudens perspicacior  
est eo.

\*) Cf. not. ad C. XIX. r.

12. Ubi triumphant iusti \*), floret res-  
publica,  
ubi iniusti superiores sunt, abdunt se  
homines \*\*).

13. Qui celat praevercationes suas, ei  
non bene id cedet,  
qui fatetur ab iisque abstinet, veniam  
consequetur.

14. Felix homo, qui pavitat semper,  
qui protervus est, infelici casui ob-  
noxius est.

15. Leo rugiens aut ursus praedae ap-  
petens  
iniustus, inopis popelli dominator est.

16. Princeps, ubi prudentia caret, pluri-  
mos opprimit,  
ubi a lucri cupiditate abhorret, longe  
vivit.

17.

\*) Sc. in iudicio, quod sequens יָדוּעַ innuit, coll.  
Ps. I. 5.

\*\*) Ad verbum: *perinvestigari*, *quaeri se. sinent*,  
quod per metonym. cons. est pro: *abducent se*, ut  
I. Sam. XXVIII. 8. יִתְחַשֵּׁי *investigandum se*  
*praebuit*, i. e. occultavit, dissimulavit regiam  
maiestatem. Cf. v. 28. ubi pro dictione tropica  
יִתְחַשֵּׁי posita est propria: יִסְתַּר. Tempore quippe  
calamitoso abdunt et subducunt se iusti hincque  
quaerendi rarioresque sunt.

17. Hominem ob commissam caedem op-  
primendum  
si vel in foveam fugiat, sustinere  
nefas.
18. Integritatem qui colit, gaudebit in-  
columitate,  
perversus hac illave via et ratione \*),  
quàm init, cadet.
19. Arvum suum qui colit, sat panis ha-  
bebit,  
inutilium rerum curiosus sat egesta-  
tis \*\*).
20. Bonae fidei vir non parum fortuna-  
tus erit,  
qui ditescere properat, non impu-  
nitus.
21. Personam respicere nefas est \*\*\*),  
atque vel ob panis buccellam iniuste  
potentior quis agit.
22. Praeceptis ad opes congerendas est  
avarus \*\*\*\*),  
sed improvisa ei ingruet egestas.

23.

\*) Cf. עקש דרכים supra v. 6.

\*\*) Eadem fere sententia C. XII. 11.

\*\*\*) Eadem sententia C. XVIII. 5. XXIV. 23.

\*\*\*\*) Oppos. טוב עין C. XXII. 9. de homine liberali  
et benefico.

23. Qui reprehendit quemquam, gratiam  
postea \*) reportabit,  
nec aequè is, qui blanditur.
24. Qui parentes suos spoliatur negatque  
id nefas esse,  
socius putandus est prodigi \*\*).
25. Appetentiae nimiae homo \*\*\* concit-  
tat litem,  
in Iova confidens pinguescet.
26. Sibi ipsi qui nimis fidit, desipit,  
qui sapienter vivit et agit, tutus erit  
a periculo.
27. Qui pauperibus dat, nulla re egebit,  
qui eos non respicit, eum execrabun-  
tur multi.
28. Ubi iniusti sunt superiores, abdu-  
nt se homines,  
cum pereunt illi, maior est iustorum  
frequentia \*\*\*\*).

CAPVT

\*) אחר pro אחר, qs. postea mihi per pleonas-  
mum, ut תא tunc mihi pro אן.

\*\*) Similis phrasia C. XVIII. 9.

\*\*\*) נפש hic, ut saepe, appetitus et habendi cupi-  
ditatis significatum habere, ex altero membro  
clarum est.

\*\*\*\*) Cf. quae supra ad v. 12. notata sunt.

## CAPVT XXIX.

1. Qui contra iteratas castigationes se obfirmat,  
subitam, nemine auxiliante, ruinam patietur.
2. Crescente iustorum numero laetatur  
populus,  
prae dominantibus iniustis ingemiscit \*).
3. Qui amat sapientiam, laetificat patrem  
suum,  
qui libenter cum meretricibus est, perdit opes.
4. Rex iure dicendo firmat terram,  
qui munera captat, vastat illam.
5. Qui blanditiis demulcet alterum,  
rete expandit ad intercipiendos gressus eius.
6. Defectio \*\*) malitiosi alicuius periculosa,  
iustus autem iubilat et laetatur.

\*) Cap. sup. v. 12. et 28.

\*\*) עָשָׂה eodem hic sensu sumendum, quo v. 2. cap. superioris.

7. Cognoscit iustus causas tenuium,  
iniustus nullius cognitionis capax est.
8. Homines religionis expertes sufflant \*)  
civitatem,  
sapientes sedant iram.
9. Viro sapienti si de iure disceptandum  
sit cum stulto,  
seu irascatur seu iocetur, nihil efficiet.
10. Sanguinolenti oderunt integrum quemque,  
probis servare huius vitam curae est.
11. Iram suam \*\*) omnem effundit stultus,  
sapiens eam cohibendo sedat.
12. Si quis dominator aurem praebet  
mendaciis,  
omnes ministri eius sunt improbi.

13.

\*) I. e. tectam adhuc civium iram in lucidam apertamque seditionis flammam excitant.

\*\*) וְהָיָה eundem hic sine dubio, quem C. XVI. 32, coll. XII. 16. habet intellectum, unde etiam LXX. per Συμω verterunt.

13. Pauper et vir splendide vestitus \*)  
sibi mutuo occurrunt,  
utriusque faciem serenat Iova \*\*).
14. Si rex tenuium res recte diiudicat,  
thronus eius in sempiternum confir-  
matur.
15. Virga et correctio dant sapientiam,  
puer sibi relictus matri erit dedecori.
16. Crescente iniustorum numero, cre-  
brescit praevaricatio,  
iusti illorum casum oculis videbunt.
17. Castiga filium tuum, ut recreet te,  
tibi quæ sit delectationi.
18. Deficiente divina institutione popu-  
lus fit efferus,  
si religionem servat, bene illi.
19. Verbis corrigi se non sinit servus,  
si correctionem quidem audit, nec ta-  
men ei respondet.

20.

\*) Ex loco parall. C. XXII. 2. et opposito  $\text{וְיָ} \text{אִישׁ תְּכַבִּי}$  nihil aliud significare posse, quam virum divitem, atque ut talem se geren-  
tem. Sic etiam Iac. II. 2.  $\alpha\upsilon\eta\varsigma \chi\epsilon\upsilon\sigma\sigma\omicron\delta\alpha\iota\tau\upsilon\text{-}$   
 $\lambda\iota\omicron\varsigma \epsilon\nu \epsilon\varsigma\theta\eta\tau\iota \lambda\alpha\mu\pi\rho\varsigma$  et  $\pi\tau\omega\chi\omicron\varsigma \epsilon\nu \epsilon\upsilon\pi\alpha\rho\alpha$   
 $\epsilon\varsigma\theta\eta\tau\iota$  sibi opponuntur.

\*\*) Phrasis huius membri illustratur ex Ps. XIX. 9.

20. Si videris quenquam praecipitem ser-  
monibus suis \*),  
de stulto plus spei, quam de eo.
21. Delicatus si quis habet a pueritia  
servum suum,  
postremo filii \*\*) sibi iura arrogabit.
22. Vir iracundus excitat contentionem,  
quique facile excandescit, multum  
praevaricatur \*\*\*).
23. Superbia hominis humiliat eum,  
quique humiliat semet ipsum, hono-  
rem consequetur.
24. Qui cum fure partitur, odit se ipsum,  
quique adiurationem audit, nec verum  
indicat.

25.

\*) Quia quidvis iam scire et sat sapere sibi vide-  
tur. cf. C. XXVI. 12.

\*\*) De  $\text{בֵּן}$  certum est, id *filii* significatum habere,  
Iob. XVIII 19. Gen. XXI. 23. Coniugatum ita-  
que eius est  $\text{בְּנוֹן}$  formae  $\text{בְּנוֹ}$ . Forma verba-  
lis  $\text{בֵּן}$  occurrit Ps. LXXII. 17., si quidem lectio  
genuina est.

\*\*\*) Iac. I. 20.

25. Reformidare homines in discrimen adducit,  
qui confidit in Iova, sublimi tutoque  
in loco erit.
26. Multi favorem dominatoris ambiunt,  
Iovae est, suum cuique adiudicare.
27. Iusti abominantur iniustum,  
et iniustus quisque recti exempli ho-  
minem.

\* \* \*

### C A P V T XXX.

1. Effata Aguris, filii Iakeh,  
oracula\*), quae elocutus est coniux\*\*) *Ithielis,*  
*Ithielis, inquam, et Uchalis.*

2.

\*) Vocabulum *אגור*, nonnisi de effatis divinis prophetarum usurpari alias solitum, prophetae, h. e. doctoris inter suos eximii, auctoritatem habuisse Agurem, innuit, dignum itaque hoc eius *אגור* esse, quod *ομολογουμένως* divinis adiungatur Salomonis sententiis.

\*\*) Quid sibi velit hic *הנבר* prorsus obsecurum, nisi *coniugis* sensu sumatur. Designat etiam vox

2. Indoctior, infit ille\*), ego sum, quam  
quisquam,  
nec humana prudentia est in me,
3. nec didici sapientiam,  
et divinarum rerum cognitionem ha-  
berem?
4. Quis ascendit in coelum et descendit?  
quis coercet ventum pugillis suis,  
quis aquas quasi in indumento co-  
hibet,  
quis constituit omnes fines terrae,  
ecquod nomen eius, nomenque filii  
eius? si nosti — \*\*)
5. Omne Dei verbum purum est,  
idemque ipse praesidium est confiden-  
tibus ei.

6.

\*) vox proprie *maritum*, quod loca Deut. XXII. 5. Ps. CXXVIII. 4. Ier. XXXI. 22. XLIII. 6. Prov. VI. 34., inprimis vero usus eius, in dialectis chald. et syr. probat. Ithiel igitur et Uchal feminae fuerunt, et quidem uxores Aguris Vid. Exc. V.

\*) Vid. not. ad C. VII. 6.

\*\*) intellig. *dic mihi* et laudabo te ut fere in Virgiliano illo: Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo. Ecl. III. 104.

6. Ne addas quicquam eius dictis,  
ne criminis falsi te arguat.
7. Duo sunt, quae peto abs te,  
quae nolis mihi recusare, antequam  
moriar.
8. Superstitionem et *αἰδῆσιν* procul a me  
esse iube,  
nec vel inopia vel copia rerum me la-  
borare sinas,  
des vero, quae ad victum pertinent  
quotidianum;
9. Ne forte nimis satur Deum esse negem,  
aut inopia coactus furer, violatque  
iuris divini reus fiam.
10. Ne obtreces servum apud herum  
suum,  
ne male precetur tibi tuque des poe-  
nam reatus.
11. Est genus hominum, quod patri suo  
male,  
et matri suae non bene precatur;
12. Est, quod sibi ipsi purum videtur,  
nec a scelerum suorum sordibus est  
ablutum;
13. Est, cuius oculi se attollunt,  
quodque altum gerit supercilium;

14. Est, cuius dentes sunt gladii, cultri  
dentes eius molares,  
ad devorandum pauperes et egenos  
inter homines.
15. Morti \*) duae sunt filiae, affer inge-  
minantes.  
Tria haec non satiantur et quatuor  
non satis esse dicunt:
16. Orcus et uterus sterilis, terra aqua  
non explenda,  
ignis denique, qui nunquam satis se  
habere dicit.
17. Oculum, qui patrem deridet matrique  
obedire respuit,  
effodient corvi in valle et devorabunt  
pulli aquilini.
18. Tria haec mirabiliora sunt, quam ut  
capere ea ego possem;  
et quatuor intelligentiam meam ex-  
cedunt:
19. via aquilae in aëre, via serpentis su-  
per petra,  
via navis in alto mari et congressus  
maris cum virgine;

\*) *ἄρπη* rarior et insolentior, in aenigmatico tan-  
tum, ut videtur, sermone usurpata mortis de-  
nominatio. Vid. Excurs. VI.

20. Par ratio est adulterae, edit abster-  
gitque os suum,  
et mali quicquam se fecisse negat \*).

21. Sub tribus contremiscit terra,  
et sub quatuor oneri ferendo impar  
est,

22. sub servo ad regiam dignitatem  
evecto;  
stultoque, cum plus quam sat ei  
victus est;

23. sub spreta, cum maritum nacta,  
ancillaque, cum haeres herae suae  
facta fuerit \*\*).

24. Quatuor haec sunt minima terrae ani-  
malcula,  
suntque praecellenti instructa sapien-  
tia:

25. Formicae, popellus non fortis,  
et parant aestate victum suum;

26. mures ursini, popellus non validus,  
constituuntque in petra domicilium  
suum;

27.

\*) Occultos impurosque utriusque sexus amores  
Agurem hoc aenigmate arguere velle, clarum est.

\*\*) Aenigma in eos dictum, qui rebus secundis usi  
insolenter se efferunt.

27. locustae, quae regem non habent,  
exeuntque praecisis ordinibus omnes;

28. stelliones, qui manibus dextre uten-  
tes

in regia adeo palatia ascendunt \*).

29. Tria sunt, quorum gressus,  
et quatuor, quorum incessus egregius  
est:

30. Leo, animalium fortissimum,  
qui ab nullius conspectu refugit;

31. succinctus lumbos (equus) itemque  
caper,  
et rex invictus \*\*).

32.

\*) Discant ab his animalculis homines, dotibus na-  
turae, quibus il gaudent, eo rectius uti, quo  
praestantiores sunt illis. Hoc docet aenigma.

\*\*) a minoribus ad maioris nobiliorisque generis ani-  
malia, leonem, equum. pro quo per antiphrasin  
*succinctus lumbos* ponitur, et caprum, quem etiam  
Graeci *ηγασμους των αργων*, et Latini *ducem*  
*gregis* dixerunt, proceditur. Quod veto rex  
*אֶלֶקֶם* (formae *אֶלֶקֶם* C. XII. 28.) his associatur,  
indicio est, ut priori aenigmate popellum, sic  
hoc reges moneri, ut, quod vel animantium  
brutorum nobiliora solo naturae instinctu faciunt,  
faciant et ipsi, conditionique suae convenienter,  
h. e. generose, egregie et magnifice se gerant.

32. Si insolentius, quam sapientem decet,  
te geris,  
iamque effervescit animus, manum im-  
pone ori;
33. Nam pressura lactis butyrum, at nasi  
pressura sanguinem,  
et narium pressura contentionem eli-  
cit \*)

## CAP V T XXXI.

1. Ab Lemuele \*\*) rege litteris mandata,  
sententiae, quibus erudiit eum mater  
eius.
2. Ecquid, mi fili, ecquid fili, quem utero  
gestavi meo,  
ecquid (dicam tibi) tot votorum meo-  
rum fili?
3. Absit, ut vires tuas impendas mulie-  
ribus,  
nec mores, quibus atteruntur reges,  
assumas.

4.

\*) Non unicum tantum in hac sententia acumen  
deprehenditur, in alia, quam qua primum con-  
cepta est, lingua, difficulter imitandum. Vid.  
Excurs. VII.

\*\*) Vid. Excursum VIII.

4. Absit ab regibus, Lemuel, absit ab re-  
gibus vinolentia,  
atque a magistratibus sicerae appe-  
tentia;
5. Ut ne, cum bibat quis, obliviscatur,  
quod legibus constitutum est,  
causamque ullius afflictorum pervertat.
6. Detur per me sicera pereunti,  
et vinum iis, qui tristi sunt animo;
7. Bibat horum quisquam, ut obliviscatur  
inopiae suae,  
aerumnaeque suae non recordetur am-  
plius.
8. Pande os tuum pro muto,  
quum causa ullius infelicis agitur.
9. Pande os tuum ad iudicandum iuste,  
ad causam afflicti egenive agendam.

\* \* \*

Carmen alphabeticum incerti auctoris, dignum  
tamen, quod, ut spiritu divinoque ingenio  
Salomonis dignum, eius adiungeretur senten-  
tiis: Exhibet illud muliebrium et coniugia-  
lium inprimis virtutum omnium per-  
fectum exemplar.

- \* 10. Uxor virtute praedita si cui con-  
tigerit,  
longe pretiosior est illa margaritis.

2 II.

- כ 11. Fidit ei animus mariti eius,  
 nec deerunt opes \*).  
 א 12. Tractat eum bene non male  
 omnibus diebus vitae suae.  
 ז 13. Conquirit lanam linumque,  
 indeque, quidquid vult, manibus suis  
 efficit.  
 ח 14. Navis mercatoriae instar est,  
 e longinquo petit victum suum.  
 ט 15. Surgit ante lucem et cibum dat do-  
 mui suae,  
 et panis, quantum satis est, puellis  
 suis \*\*).  
 י 16. De agro comparando cogitat eoque  
 potitur,  
 de eo, quod manuum opera lucrata  
 est, plantat vineam.  
 יא 17. Robore succingit lumbos suos,  
 pariterque firmat brachia sua.  
 יב 18. Sentit prosperum rerum suarum suc-  
 cessum,  
 non extinguitur vel noctu lucerna  
 eius.  
 יג 19. Manus suas adhibet ad verticillum,  
 et volis suis captat fusum.

כ 20.

\*) ut טרף v. 15. coll. C. XXX. 8. ad cibos victum-  
 que, sic שלל hic ad opes universe transfertur.

\*\*) ad טרף et חק conf. C. XXX. 8.

- כ 20. Volam suam expandit erga miserum;  
 et manus suas exporrigit versus ege-  
 num.  
 ל 21. Non timet domui suae ab nive,  
 nam qui domi eius sunt, omnes duplici  
 gaudent vestitu.  
 מ 22. Stragulas facit sibi,  
 bysso et purpura vestita est.  
 נ 23. In foris clarus est coniux eius,  
 in consessu procerum terrae.  
 ס 24. Sindonem conficit venditque  
 cingulumque venum dat Phoenici.  
 ע 25. Durabili pariter ac decoro amictu  
 gaudens  
 ridet futuri temporis casum.  
 פ 26. Quidquid ore profert, spirat sa-  
 pientiam,  
 et gratiae plenum est, quidquid prae-  
 cipit.  
 צ 27. Quaecunque domi eius aguntur, ob-  
 servat,  
 nec panem cum desidia consumit.  
 ק 28. Filii eius ad eam praedicandam  
 consurgunt,  
 coniux eius laudat eam:  
 ר 29. "Multae virgines virtuti operam de-  
 derunt,  
 tu vero superior es illis omnibus."

K

ש 30.

ש 30. Fucus est oris gratia et vapor venustas,

femina Iovae reverens — haec laude dignam se praestat.

נ 31. Detur illi, quod manuum suarum opera meruit,

factorumque eius publica laus ei obtingat.

## EXCVRS. I.

de vocabulo תושיה CAP. II. 7. et al.

Vocabulum hoc est significatus tam generalis, ut ad plures res designandas adhibeatur. Proprius quippe eius significatus est, quidquid I. D. MICHAELIS in Supplem. ad Lexica ebr. contra dicat, *realitas*, seu quidquid verum, firmum, solidum in suo genere, nec nomine tantum, sed reapse id est, quod dicitur, traxitque illum a voce primitiva יש, quae vere idem valet, coll. Prov. VIII. 21. cuiusque forma quasi augmentativa est. Proprium significatum servat, ut exemplis res clara fiat, Ies. XXVIII. 29. חפליא עצה הנדיל תושיה, qui consilio mirificus, *realitate* i. e. re et effectu magnus est; Prov. VIII. 14. לי עצה ותושיה, penes me est consilium et *realitas*, i. e. res ipsa consilio provisa; Iob. XII. 16. עמו עו ותושיה, penes ipsum est vis et *realitas*. i. e. vis vera et effectu m'ime carens; Iob. V. 12. ולא תעשינה ידיה תושיה, nec faciebant manus eorum *realitatem*, i. e. quicquam, quod pro vere facto aestimari potuisset, quod operae pretium fuisset; Prov. XVIII. 1. בכל תושיה יתגלע, contra omnem *realitatem*, i. e. omne, quod reapse verum et bonum est, pugnat. Eundem igitur sensum etiam loco supra cit. habet: Recondit probis *realitatem* i. e. quod revera bonum est.

Ab hoc suo proprio significato transfertur vero aliis in locis etiam ad virtutes, vel affectiones animi, et pro his ipsis, licet diversis, in hoc tamen similibus, ut *vere* id sint, quod notio earum complectitur, per metonymiam ponitur. In his itaque locis quam virtutem speciatim designet, ex opposito vel adiunctis iudicandum. Sic pro *pietate* ponitur, quae *vere* talis est Mich. VI. 9. *Realitatem*, i. e. veram pietatem, qualis v. 8. describitur, non vanam et hypocriticam, (quae quaerit tantum, quid faciendum sit et nil facit, v. 6.) respicit nomen tuum; pro *vera sapientia* Prov. III. 21 *serva realitatem*, i. e. veram sapientiam et circumspeditionem; quo eodem sensu, sed ironice sumta vox est Iob. XXVI. 3. *Realitatem*, veram sc. sapientiam, assatim prodidisti; pro *vera rerum cognitione* universe Iob. XI. 6. quoniam duplum id esset ad *realitatem*, i. e. veram rerum tuique ipsius cognitionem atque aestimationem; pro *animi* denique *vi vera*, *firma et durabili*, Iob. VI. 13. Etiam *realitas*, i. e. animi vis vera et durabilis erepta est mihi.

Restat unicus locus isque paulo difficilior, Iob. XXX. 22. liquefacis me תוֹשִׁיחַ. Servat vero, si quidem lectio genuina est, dissident enim aliquantulum Keri et Kethibh, etiam hinc primigenium significatum, sed adverbialiter sumtum, vertendumque est subintellecto praef. בּ vel: *reapse* secundum Cocceivm, vel: *plane* et *in totum* sec. Schmidivm. Non raro enim nomina substantiva etiam absque Praef. בּ adverbiorum vim adoptant; ut חֶסֶד Ps. CXLI. 5. בָּרַח Deut. XII. 10. Prov. I. 33. et alibi.

## EXCVRS II.

ad CAP. XXII. 23.

Verbo קָבַע interpretum praestantissimi ab arab.

قَبَعَ, *texit, abdidit caput* significatum *defraudandi decipiendique* tribuerunt, quod sc., qui fraudulenter agunt, fraudem tegunt. Et sane *defraudandi* notio in alterum, ubi idem verbum occurrit, locum Mal. III. 8. 9. apprimè quadrare videtur. Vereor tamen, ne illa translatio a *tegendo* deducta si non coacta, precaria certe sit, nec, ea sumta, quid adjectum וְכַסִּי sibi velit, explicari possit. Ebraicum vero verbum

קָבַע dialectus arabica sub duplici forma قَبَعَ et قَبَعَ exhibet. Saepe enim litterae eiusdem organi, adeoque etiam בּ et כּ in dialectis orientalibus inter se permutantur, ut videre est apud SCHULTENSIVM in Clav. dial. pag. 194. Cognatas autem esse has duas formas, vel ex eo. clarum est, quod convenient in servato *orificii utris ad bibendum ex eo* s. extrinsecus s. intrinsecus *replendi* significatu.

Cognatam itaque formam قَبَعَ si consuluissent interpretes, certiore et hinc nostro loco longe congruentiorem invenissent significatum, qui est *percutere in capite*. Utitur ea versio arabica ad reddendam phrasin בְּרֹאשׁ — הִשָּׁאֵפִים Am. II. 7., quo in loco non minus, quam in nostro, de oppressionem tenuium sermo est, ad vertenda item verba graeca τυπτειν I. Cor. VIII. 12. δαρειν I. Cor. IX. 26. κολαφίζειν II. Cor. XII. 7. *Percutiendi* itaque vim hinc habet verbum קָבַע, quod ipsum confirmatur adiecta determinatione נֶפֶשׁ. Quemadmodum enim verbo הִכֹּת ad indicandam lethalem percussione additur נֶפֶשׁ Gen. XXXVII. 21. Deut. XIX.

XIX. 6. 11, XXVII. 25., sic hîc idem nomen ob eandem rationem eiusdem fere significatus verbo קבע adiectum est. Usu loquendi proverbiali, qualis in germanico *vor den Kopf stoßen* obtinet, idem verbum קבע ad *offensionis gravioris* genus quodvis translatum, atque hoc generaliori sensu Mal. III. 8. 9. usurpatum esse videtur.

## EXCURS. III.

ad CAP. XXIII. 28.

In vertendo vocabulo חתק, ut esse solet in α. λ. magnus est dissensus interpretum veterum. Recentiores post SCHULTENSIVM omnes fere in eo consentiunt, ut sumta litterarum ח and ק permutatione significatum eius a חטק *rapuit* hac illave ratione repetant. Primus ei lucem accendit MICHAELIS in Supplementis etc. Radix eius pariter α. λ. superest Iob. IX. 12., cuius significatus in dial. syriaca, et quidem in Coni. Paet idem est, qui ebraici verbi שבר *fregit*. in arabica vero: *mori voluit* (Deus sc. hominem). Quam aptus ille sermoni Iobaeo: *si mori voluerit quenquam, quis eum ab illo decreto avertet*, quam conveniens etiam iis, quae proxime sequuntur. Ab eadem vero radice descendit etiam nomen arabicum حَتَق, eiusdem cum ebr. חתק formae *mortisque* potestatem habet, quam nostro huic loco inprimis congruam esse nemo non viderit.

## EXCURS. IV.

ad CAP. XXVII. 6.

Vocabulum נַחֲרֹחַ alias per *deprecanda* vertitur, quod satis aptum esset, si probari posset, verbum ebr.

ebr. נַחֲרֹחַ non *orandi* tantum aut *exorandi*, sed et *deprecandi* significatum unquam habuisse. Recentiores itaque interpretes post SCHULTENSIVM per *virulenta* aut *nidiosa verterunt*, sed artificiosius quam verius id ex arabismo petitur. BOBIVS *fraudenta* vertit idque opposito נֶאֱמָר in priori membro egregie responderet, et *mentiendi* quidem etiam significatum CA-

STELLVS verbo arab. عَثَر tribuit, sed, ut videtur, sine auctoritate. Certius est, *caespitandi*, *impingendi* *offendendi*que significatum ei competere. Eo certe frequentissime usus est Arabs cum Polyglott. tum Erpen. ad vertendum verbum ebr. נָגַח, ut Ps. XCI. 12. Prov. III. 23. Lev. XXVI. 17. Deut. I. 42. et graecum προσνοπτειν Ioh. XI. 9., et nomine ab eo descendente عَثَر ad vertenda nomina προσνοπμα et στανδαλον, ut Rom. IX. 32. 33. XIV. 13. I. Petr. II. 8. Ebr. itaque נַחֲרֹחַ, sive participium Niphal sit, ut נֶאֱמָר in priori membro, seu nomen ad formam נֶחֱרַח Ps. XXXVII. 38., *offensionis* vel *offendiculi* vim hîc habere non parum probabile est.

## EXCURS. V.

ad CAP. XXX. 1.

Quod, Ithieleim et Uchalem uxores Aguris esse potuisse, nemini interpretum adhuc in mentem venit, mirum non est propter ה demonstrativum, quod aliàs nomini genitivum regenti, quale hîc נָבֵר est, praefigi non solet. Neque vero hoc ipsum universe insolitum est, locumque inprimis habet, ubi nomen regens et ipsum genitivus est a praecedenti nomine rectus, ut hîc et II. Reg. V. 9. in verbis: פָּתַח הַבַּיִת לְאַלְיָשָׁע, ad ostium

*ostium domus Elisae*, aut ubi contraria sibi opponuntur ut השבע לעשיר, *saturitas divitis* Coh: V. II. opposita modico operarii victui. Adhibetur vero tum ad indicandum genitivum Praefixum ל, quo Ebraei etiam aliàs, ut vel frequentissimum מומור לדור docet, et tum praecipue utuntur, ubi pronomini possessivo nomen possessoris ipsum subiungitur, ut Cant. III. 7. מכתו שלשלמה *lectus Salomonis*.

Habuit fortasse Agur coetaneos sui cognomines, additurque ob hanc rationem, ut distinguatur ab his, quod fuerit ille Ithieli et Uchali matrimonio iunctus. Quin hae eius uxores, prior praesertim, quae ab altera aliquatenus distinguitur, etiam ipsae nomen non incelebre suos inter habuisse videntur.

Nec denique id morari quenquam debet, quod formae nominum איתאל et אכל maribus potius quam feminis competere videantur. Prorsus enim similis formae sunt nomina indubie feminina איכל I. Reg. XVI. 31. et מכל I. Sam. XVIII. 20.

## E X C V R S. VI.

ad CAP. XXX. 16.

Arabibus derivata radicis עלק, nimirum علقة *hirudinem* et لعق *hirudinum immissionem in locum, unde sanguinem exsugant*, علوق vero et علوقه eiusdem cum ebr. עלוקה formae, *mortem et calamitatem* notant. Est itaque עלוקה hieroglyphica quasi *mortis*

*mortis* denominatio, qua illa sub imagine sanguisugae animantis, aut voracis alicuius quasi sphingis repraesentatur. Quae ei filiae hic tribuuntur, eae Cap. XXVII. 20. propriis verbis שאול ואכרן nominantur, atque hoc ipso in loco est etiam aenigmatis solutio. Comparantur scilicet etiam hic insatiabiles hominum cupiditates cum morte, cuius filiae, i. e. adiuncta, sunt *sepulcrum* et *status mortuorum*. Morti dein tria alia associantur, aequae insatiabilia, *uterus sterilis*, *terra* et *ignis*.

## E X C V R S. VII.

ad CAP. XXX. 33.

Probabile est, sententiae huius v. substratum esse aliud adagium, tritum fortasse et vulgare, cuius acumen in paronomasia vocabulorum חלב *lac* et אף *nasus*, חמאה *butyrum* et חמה *ira* situm erat, sic fere expressum solitum:

מיץ חלב יוציא חמאה

מיץ אף יוציא חמה

Prius huius adagii membrum suum facit Agur, alterum vero amplificat, utendoque vocabulis אף et אפיס, quorum utrumque et *nasum* et *iram* significat, quorum itaque prius proprio, posterius translato sensu sumit, sententiae novum acumen addit, cum dicit, pressuram nasi sanguinem, pressuram; i. e. commotionem vehementiorem irae contentionem ciere.

## E X C V R S. VIII.

de nomine למואל.

למואל et שלמה unum idemque nomen, illaque prior forma quasi diminutiva huius posterioris, Bathseba vera

vero illa in appellando tenello adhuc filiolo usa esse videtur. Servatae sunt certe literae mediae *b* et *n* in hac ipsa forma immutata. Solent hodiernum matres infantum nomina amoris leporisque gratia varia ratione inflectere. Matrum vero ingenium semper est idem et quis eundem morem non iam olim etiam Hebraeorum matribus familiarem esse potuisse facile probaverit?

## K O H E L E T H.

## C A P V T I.

I. Sermones Koheleth \*), filii Davidis,  
regis hierosolymitani.

\* \* \*

## P A R S I.

*quae vanitatem rerum mundanarum et humanae  
inprimis vitae depingit.*

2. O vanissimam vanitatem, inquit Koheleth, o vanissimam vanitatem! omnia vana!

3. Quid emolumenti \*\*) est homini ex omni labore suo, quo defungitur sub sole?

4.

\*) Frustra laborant interpretes in explicando hoc nomine, cum quas eius sibi imponendi rationes habere potuerit rex sapiens, neque ex argumento libri, neque ex historia auctoris augurari quis facile possit.

\*\*) מְעֵלָה vox huic libro propria. LXX. verterunt  
τις κερδισμα.

4. Aetas hominum decedit aliaque succedit, et terra eodem semper in statu persistit.

5. Oritur item sol et occidit, anheloque cursu ad locum suum tendit, quo de novo oritur.

6. Procedit meridiem versus vertitque se septentrionem versus continuo circuitu \*).

Exit ventus, atque ad omnes, ex quibus flare potest, regiones circumquaque revertitur.

7. Fluvii omnes defluunt in mare, nec illud repletur, ad locum, unde cursum suum ineunt, illuc eundem prosequendo redeunt.

8. Omnia ad fatigationem usque sunt occupata, adeo, ut eloqui id nemo possit, non satiatur oculus videndo, nec auris expletur audiendo.

9.

\*) ut v. antec. de cursu solis, quem 24 horarum spatio conficere videtur, sermo est, sic prius huius v. comma de annuo cursu versus polos mundi intelligendum esse manifestum est, quod si perspexissent, qui textum accentibus instruxerunt, *וְהַיָּם כָּלָם לַיָּם* non postposuissent Atnacho. Ad venti mutationes, de quibus deinceps loquitur auctor, si pertineret illud, *וְהַיָּם* aut superfluum, aut certe ante *וְהַיָּם* ponendum fuisset.

9. Quid est, quod extitit? idem, quod futurum est, et quid est, quod factum est? idem, quod fiet, et nihil omnino novi existit sub sole.

10. Est forte, de quo, novum id esse, dixerit quispiam, iam vero extitit idem seculis, quae ante nos fuerunt.

11. Non est recordatio rerum prisca- rum, atque etiam eorum, quae post futura sunt, nulla erit recordatio apud eos, qui erunt postea.

12. Ego, Koheleth, eram rex Israelitarum Hierosolynis,

13. applicuique animum meum ad inquirendum in rerum causas accuratiusque expendendum omnia, quae fiunt sub hoc caelo, quo improbo negotio \*) voluit Deus ut occuparentur homines;

14. Cumque (sic) intuerer omnia, quae fiunt sub sole, vana esse atque aegritudinem \*\*) comperi.

15.

\*) *וְהַיָּם* vox philosophica in libro Koheleth tantum obvia, idem fere, quod nostris philosophis *objectum*, significans. Ex ea etiam verbum *וְהַיָּם* suum hic significatum petere videtur.

\*\*) hic significatus et huic loco et reliquis, ubi eadem phrasis occurrit, convenientissimus. Crc. Tusc.

15. Quod curvum est, non potest rectum effici, nec numerari, quae imperfecta et manca sunt.

16. Sic igitur mecum ipse sermocinatus sum: ecce tu maiorem amplioremque tibi comparasti sapientiam, quam omnes, qui ante te erant Hierosolymis, penitiorumque multarum rerum intelligentiam scientiamque es consecutus,

17. quoque intentiori studio in id incubuisti, ut, quid sapientia, quidque insania et insipientia \*) esset, pernosceres, eo maiori etiam hoc animum aegrimonia affici perspexisti.

18. Quo enim plus sapientiae quis habet, eo plus indignationis, augendoque scientiam auget sibi dolorem.

CAPVT

Tusc. I. de aegritudine dicit, quod laceret, excedat animum planeque conficiat, et I. de Fin. de moribus, quod animos excedant conficiantque curis, atque idem fere dicit ebr: רעות רוח.

\*) שכלות alii de prudentia intelligunt, sed est pro שכלות, quomodo etiam 33. Codd. Kennic. legunt, consent. Hieron et Vulg. Cf. C. II. 12.

## CAPVT II.

1. Iam hoc facere decrevi, velle me laetioris vitae experimentum capere, et felicitate mea frui; cumque etiam hoc vanum esse comperissem;

2. risum insaniam et laetitiam inanem nulliusque pretii esse declaravi.

3. Deliberavi porro mecum ipso, vellemne vini usu largiori corpus mulcere meum, sic, ut, cum mens mea in sapientiae studio progredieretur, stultitiam simul in partes traherem, usque dum, quid tandem vere bonum hominibus, quidque faciendum iis sit sub hoc coelo per paucos vitae eorum dies, perspicerem.

4. Itaque magnifica esse volui, quaecumque moliebar, extruxi mihi domos plantavique vineas.

5. Instruxi mihi hortos et viridaria, plantavique in illis omnis generis frugiferas arbores.

6. Comparavi mihi lacus aquarios ad irrigandum ex iis nemus arboribus consitum.

7. Emi servos et ancillas, habuique vernas, itemque maiores cum armentorum

L

tum

tum pecorum greges, quam quisquam eorum, qui ante me erant Hierosolymis.

8. Collegi mihi porro argentum aurumque et quidquid reges ac provinciae in gazis habere solent, comparavi mihi cantores et cantatrices, quae denique voluptati vel maxime sunt generi humano — —\*).

9. Itaque maior opulentiorque factus sum, quam omnes, qui ante me erant Hierosolymis, nec tamen inter haec sapientia me deseruit mea.

10. Quidquid enim desiderabant oculi mei, non subtraxi illis, nec denegavi animo meo fructum laetitiae ullum, quem quidem ille ex operibus meis omnibus capie-

\*) Forma loquendi, qua eadem vox in diverso vel genere, ut Ies. III. 1. vel numero, ut hic in וְשִׁירָה וְשִׁירָה continuo repetitur, omnigenam multitudinem eius, quod voce illa designatur, indicat. Quid vero iam hic vox וְשִׁירָה ipsa significet, incertum. Cum probabile non sit, Salomonem voluptatis genus, quod gynaeceum ei prae-buit, cuique praecipue deditus fuit, prorsus siluisse, hoc eum ante oculos habuisse, aliquam quidem veri similitudinem habet, sed neque ex ebraeae, neque ex cognatarum ei linguarum analogia luculenter satis probari potest. Fallor, an vox, ut פִּרְרִים v. 5. exoticae, persicae forsitan aut armenicae originis fuit.

capiebat, eratque hoc, quod ex illis omnibus in me redundabat, unicum.

11. Cumque ego iam respicerem ad omnia, quae manibus effecissem meis, omnemque, quo ad illa perficienda perfunctus essem laborem, vana illa omnia et aegritudinis plena fuisse, nec quicquam praestabile et magnopere expetendum sub hoc sole esse vidi;

12. Cum porro ad perspiciendum, quid sapientia, quidque insania ac insipientia esset, me converterem, quod, qualis is, qui successurus esset regi, quemque iam praecepissent animo, futurus esset, observabatur ante oculos\*);

13. tantum praestare sapientiam insipientiae vidi, quantum lux tenebris;

14. Habet quippe sapiens oculos in capite, cum contra stultus in tenebris versetur.

\*) Laborant interpretes in connexionem posterioris huius v. commatis cum iis, quae praecedunt et sequuntur, invenienda. Et sane verba: אֶת־אִשֶּׁר אֶת־עֵשָׂו כִּכְרָה aut turbant connexionem, aut B. LUTHERI exemplo de successore regis sunt sumenda. Tum vero etiam, quae in conciso et abrupto sermonis genere cogitanda relinquuntur lectori, supplenda. Sic plana sunt omnia.

setur. — Simul vero etiam cognovi, uni eidemque casui subiectos esse omnes.

15. Cogitavi igitur iam mecum ipse: cum idem, quod stulto, etiam mihi accidat, cui bono ego sapientior fuerim ceteris hoc tempore, iamque persuasi mihi ipsi, etiam hoc, quidquid sit, vanum esse;

16. quod memoria sapientis non diuturnior est, quam stulti, quandoquidem diebus iam proxime venturis uterque oblivioni est datus: o quam enim sapiens aequae ac stultus moritur!

17. Me vero nunc etiam vitae taedebat, cum displicerent \*) mihi, quaecumque fiunt sub hoc sole, quod vana omnia atque aegritudinis plena essent:

18. Nec minus pertaesus eram laborem, quo perfunctus essem sub hoc sole, omnem, quod relinquendus is a me homini, post me exituro,

19. incertumque esset, sapiensne ille sit futurus, an insipiens, qui eorum omnium, quae et operose et sapienter perfecissem sub hoc sole, dominus esset futurus, quod iterum vanitatis argumentum est.

20.

\*) Oppos. מוֹב עַל-הַמֶּלֶךְ Esth. I. 19. III. 9.

20. Equidem eo adactus sum, ut animum desponderem super omni, quo perfunctus essem sub hoc sole, labore;

21. quod esse posset quisquam, qui, quod sapienter, scienter optimoque cum successu \*) perfecisset, homini, qui non laborasset in eo, concedere cogeretur haereditarium, quod vanitatis non tantum argumentum, sed et ingens malum est.

22. Quid enim (tum) est homini pro omni labore suo aegrimoniae pleno, quo ille perfunctus est sub hoc sole;

23. cum omnes dies eius sint dolorum pleni, et cum indignatione coniunctum, quidquid sit, quo occupatur, adeo, ut ne noctu quidem quiescat animus eius, in quo iam vanitatem esse clarum est.

24. Nonne ergo optimum factu hominum cuique, ut edat bibatque atque ut in percipiendo laborum suorum fructu sibi ipsi indulgeat \*\*) ? quanquam etiam hoc a Deo dependere intellexi;

25.

\*) כִּשְׂרוֹ vocabulum itidem huic libro proprium. Syr. כִּשְׂרָא significat: prosperatus est, prospere successit. Verbum occurrit infra C. X. 10. XI. 6.

\*\*) conf. v. 3. ubi dixerat Sal., id ei propositum fuisse, ut, quid tandem vere bonum quidque opti-

25. Nam cui praeter me ciborum capiendorum largior copia esse \*), facile potuerit!

26. Homini enim, qui placet illi, dat sapientiam et scientiam laetumque rerum suarum successum\*\*). Peccatori vero dat colligendi congerendique negotium, ut dare

optimum factu hominibus esset, perspiceret. Targ. Syr. et Ar. post בארו supplent.: *quam ut, hoc sensu: nihil igitur convenientius fuerit homini, quam ut edat.* Eundem sensum tribuit sententiae *Aben Esra*, qui etiam provocat ad C. IV. 17., ubi idem supplendum sit ante לעשר רע. Sed durior insolentiorque haec ellipsis esset. Rectius vero, si Salomonem ab se ipso dissentire velis, רע אין, ut est in LUTHERI versione, interrogative et eo ipso affirmative, plane ut C. III. 12. sumitur. Saepe enim interrogationes sola pronuntiatione discernuntur, ut I. Sam. XVI. 4. multisque aliis in locis, certumque, interrogationes eiusmodi negativas affirmative intelligendas esse. Cf. STORRI Obss. ad Anal. et Synt. hebr. p. 349. et 452. not. \*\*).

\*) ad ירוש conf. Hab. I. 8. Sensus est: Cum nemo facile largius eo in bonis huius vitae fructibus indulgere sibi potuerit, neminem etiam certius eo scire posse, quod etiam hoc, quidquid sit, boni non in hominis ipsius potestate situm, sed merum Dei largitoris munus sit.

\*\*) שמחה hic idem valet, quod כשרון v. 21.

dare possit illi, qui placet ei. Itaque etiam in hoc vanitatem et aegritudinem esse certum est.

### C A P V T III.

1. Cuilibet rei est certum propositoque cuivis opportunum suum tempus \*) sub hoc caelo.

2. Tempus est nascendi et tempus moriendi, tempus plantandi tempusque plantatum eradicandi.

3. Tempus est trucidandi et tempus sanandi, tempus destruendi, tempusque extruendi.

4. Tempus est flendi et tempus ridendi, tempus plangendi tempusque exsultandi.

5. Tempus est disiiciendi lapides et tempus colligendi lapides, tempus amplexandi tempusque ab amplexando se continendi.

6. Tempus est quaerendi et tempus perdendi, tempus asservandi tempusque abiiciendi.

7.

\*) זמן est tempus certum definitumque Neh. II. 6. עת tempus ad hoc illudve negotium inprimis opportunum.

7. Tempus est discindendi et tempus consuendi, tempus tacendi tempusque loquendi.

8. Tempus est amandi et tempus odio habendi, tempus belli tempusque pacis.

9. Quidnam emolumentum ergo habet, qui facere quicquam instituit, utut laboriosus sit ille?

10. Vidi quippe occupationem, qua ut occuparentur homines voluit Deus \*).

11. Universa facit Deus commode cuiusque rei tempore, et quamvis rerum mundanarum \*\*) intelligentiam aliquam concesserit is hominibus, non tamen perveniunt illi ad universi operis divini a principio usque ad finem perspicientiam.

12. Certum itaque mihi, nil melius obtingere posse iis, quam ut bono sint animo et bene se habeant, quoad vivunt,

13. atque etiam omnem hominem, quod edat bibatque et fruatur bonis, omni

\*) Respicit, quae C. I. 13. iam dixerat.

\*\*) עולמא aperte mundum adspectabilem, opus vero divinum a principio usque ad finem regiminis totiusque oeconomiae divinae occultiores rationes nexumque rerum omnium denotat.

omni suo labore partis, habere id Dei munere \*).

14. Nec minus certum exploratumque mihi, quod, quidquid Deus faciat, nulli temporis vicissitudini sit obnoxium, nec addi ad illud aut demi de eo quicquam possit, eum autem haec facere ad reverentiam sui commovendam.

15. Quidquid quippe accidit, dudum iam fuit, et quidquid futurum est, dudum iam factum est, relegitque Deus praeterlapsa \*\*).

16. Vidi autem etiam sub hoc sole locum iudicii exercendi, ubi iniustitia, et locum iustitiae administrandae, ubi eadem locum haberet \*\*\*).

17.

\*) Idem, quod supra iam C. II. 24. dictum, in his duobus versibus 12. et 13. infertur ex iis, quae ab initio huius cap. v. 1—10. exposita sunt, quippe quod omnia tempori et opportunitati, haec vero Dei regimini voluntatique sint subiecta.

\*\*) His versibus 14. et 15. confirmantur et amplificantur versu 11. dicta. Opera divina esse unum quasi actum (מראש ועד סוף), eumque perfectum, (cuius oppositum, חסרון C. I. 15.) sibi, quae exacte constantem.

\*\*\*). Hoc pugnare videri posset contra divinorum operum perfectionem.

17. Id me in sententiam adduxit, iustum pariter ac iniustum iudicaturum esse Deum, quod suum liberae cuicque actioni tempus esset, et de quovis facto ibi — \*).

18. Nec minus in hanc veni sententiam quoad homines, Deum (permittere id) ad purgandum eos, utque appareat, quod sibi relictis brutis sint similes.

19. Uni nimirum eidemque casui subiecti et homines et bruta esse videntur, eidem fato succumbere ambo, idemque halitus vitae ambobus, nec praerogativae quicquam esse hominibus, quod evanidi sunt utrique.

20. Utrique ad eundem abeunt locum, utrique orti sunt ex pulvere redeuntque ad pulverem utrique.

21. Ecquis certo scit \*\*), spiritus hominis an sursum ascendat, et brutorum spiritus an deorsum descendat ad terram?

22.

\*) sc. decernet Deus. Aposiopesis emphatica.

\*\*) Ex hoc sapientis regis enuntiato, uti ex eo, quod v. 17. de futuro iudicio praestruxerat, sat clarum est, eum animorum humanorum immortalitatem durationemque post mortem non negare, sed supponere, et loqui tantum de praesenti hominum qualisque nunc esse videatur conditione.

22. Itaque confirmatus sum in sententia, quod nullum sit maius homini bonum, quam ut praesenti sua sorte contentus laetetur suis de operibus, cum impossibile sit, ut videat iam nunc ea, quae post futura sunt.

## CAP. IV.

1. Rursus ego vidi oppressos, quotquot eorum existunt sub hoc sole. Ecce vero lacrymae oppressorum, nec quisquam, qui consolaretur eos, et vis illata illis ab his, qui opprimebant illos, nemine illos consolante,

2. Feliciores igitur praedicavi \*) mortuos, qui diem iam obiissent suum, quam qui viverent, quod superstites adhuc essent,

3. et beatiorum utrisque, qui adhuc non extitisset, quod non videret mala, quae subter hoc sole committuntur, facinora.

4. Nec minus vidi laboriosam omnem hominum industriam, et quo successu omnia

\*) שָׂרָה Infm. pro finito שָׂרָה, quod C. VIII. 15. occurrit. Ponitur quippe actio pro actionis auctore, ut I. Sam. II. 28. eligere pro eligens fui.

omnia peragerentur, quod invidia motus alter praevertere studeat alterum, quod iterum vanitas est aegritudinemque affert.

5. Ignavus \*) (contra) complicat manus suas \*\*) et semet ipsum exedit \*\*\*).

6. Praestat omnino una vola plena cum tranquillitate duobus pugnis plenis cum molestia et aegritudine.

7. Rursus ego vidi aliud vanitatis genus sub hoc sole.

8. Est aliquis solus, nec haeredem \*\*\*\*) habet, estque ei nec filius, nec consanguineus, laborumque eius nullus est finis, etiam oculi non satiantur divitiis. Cuiusnam vero in gratiam ego laborarem et ge-

\*) Hunc proprie sensum habet hoc vocabulum, et metonymice demum ad *stolidum* transfertur, nam verbum *נָסַח* significat: *torpuit*, segnis et ignavus fuit.

\*\*) ad quietem somnumque capiendum, quod cum *הָבַק יָדַי* iungitur Prov. VI. 10. XX. 33.

\*\*\*). Vid. Prov. V. 11. ubi eadem fere phrasis, coll. C. XX. 13.

\*\*\*\*) *לֹא* al. de *coniuge* intelligunt. Rectius vero haeredem universe iadigitari putem. Sic enim etiam seq. v. 15. iuvenis haeres regni *הַשֵּׁנִי* vocatur.

genium defraudarem meum? Quam vanum etiam hoc est quamque mala res!

9. Praestant duo uni, quod optabile operae suae pretium habent illi;

10. nam, si alteruter lapsus fuerit, alter eriget alterum, vae autem isti uni, qui ceciderit, nec est alter qui illum erigat.

11. Etiam cum cubant una duo, calefiunt illi, unus vero quomodo calefiat \*).

12. Sique oppresserit \*\*) quis unicum, duo resistent ei, et filum triplex non facile rumpitur \*\*\*).

13. Praestat invenis pauper isque sapiens regi seni et stolido, qui nescit moneri amplius.

14. Nam e carcere potest \*\*\*\*) quis prodire ad regnandum \*\*\*\*\*), cum (contra)

\*) non de coniugio sermo, sed locutio proverbialis est, qualis Latinorum: manus manum lavat.

\*\*) *חָזַק* aliàs intransitive *firmum esse* significat, hic transitive, ut verbum arab. *robore vicit*.

\*\*\*). Sententia est iterum proverbialis, quae dicit, vim iunctam fortiore esse.

\*\*\*\*). Verba activa actum significantia non raro potestatem tantum agendi significant, ut Dan. IV. 4. *non indicarunt* dicitur pro *non indicare potuerunt* coll. v. 15. Dan. I. 4. *יָדְעוּ* scientes pro: qui scire possint, et alibi saepe.

\*\*\*\*\*). subintell. si sapiens est, ex v. antec.

tra) origine rex possit ad paupertatem redigi \*).

15. Vidi omnes vivos, quotquot degebant sub hoc sole, iuveni illi haeredi, qui successurus illi esset in regno, adhaerentes.

16. Infinita erat multitudo populi, eorum, inquam, omnium, qui praeiabant \*\*); Iam vero etiam qui sequuntur posteriores non laetabuntur de eo. Est nimirum etiam in hoc vanitas et aegrimonia.

\*. \* \*

#### P A R S II.

*quae regulas vitae recte instituendae vitiorumque cavendorum ex vitae humanae observatione continet.*

17. Consideranter in aedem sacram ito; Quodsi enim in eam te contuleris, obediendi consilio \*\*\*), praestat hoc sacrificiis stolidorum; Inscii enim illi eo se conferunt \*\*\*\*), ut male agant.

CAPVT

\*) si desipit, ex eod.

\*\*) LXX. *οι εγενοντο απροσθευ αυτων.*

\*\*\*) post *לשמע* subintell. *בקול יהוה* Cf. I. Sam. XV. 22.

\*\*\*\*) hoc supplendum ex antec. Manifeste enim *לעשות רע* oppos. *לשמע*.

#### C A P V T V.

1. Ne praeceps sis ore tuo, nec inconsideratus in verbis proferendis coram Deo, sed Deum in caelo te vero in terra esse cogitans fac paucis verbis utare.

2. Nam quemadmodum multitudo occupationum parit somnia, sic in multiloquio esse solet stultiloquium.

3. Quodsi voto te obligaveris Deo, illo te exsolvere ne cuncteris, cum, qui segnes \*) ea in re sunt, ei placere non possint; Quae vovisti, solve.

4. Praestat nil vovere, quam quae vovisti non solvere.

5. Nec sine os tuum te ad peccandum contra tuum ipsius corpus inducat, nec committe, ut, imprudentem te fuisse coram eo, qui Dei vice est \*\*), dicere necessum habeas. Quare poenam in te divinam provoces voce tua coeptumque tuum opus male cedat?

6. Ut enim, ubi multa sunt somnia, multum vanitatis est, sic, ubi multa sunt verba.

\*) Vid. not. ad Cap. IV. 5.

\*\*) i. e. sacerdote, cuius erat, de votis iudicare. Cf. Mal. II. 7.

verba. Quin Deo potius debitam praesta reverentiam.

7. Si pauperem opprimi, et ius iustitiamque denegari videas in provincia\*), noli vehementius commoveri ea re; super alto enim altior custos est, et super utroque altiores.

8. Quodque universae terrae maxime proficuum est, hoc est, quod vel ager colendus regem \*\*) habet.

9. Qui argentum amat, non satiatur argento, et quis amet rerum affluentiam \*\*), ex qua nihil redit. Etiam hoc vanitas est.

10. Ubi multiplicantur bona, multiplicantur, qui illa consumunt, et quem inde fructum

\*) Praefectos provinciarum (I. Reg. XX. 14.) imprimis eos esse, qui tenuem et in agris degentem populum male tractent, Salomonis perspicaciam non fugit.

\*\*) qui non patietur, ut agricolae, utilissimum hominum genus, opprimantur. Sic nihil est in hoc loco, quod non cum usu verbi עֹבֵד conveniret. Cf. Deut. XXI. 4. Ez. XXXVI. 9. 34.

\*\*\*) עֲבוֹרָה de rerum copia etiam usurpatum I. Par. XXIX. 16. Ps. XXXVII. 16.

fructum habent possessores eorum, nisi quem oculis capiunt.

11. Dulcis somnus operarii, sive parum sive multum habeat, quod edat, cum contra saturitas divitis non sinat eum dormire.

12. Est malum aegritudine afficiens, quod vidi sub hoc sole, divitiae possessoribus suis ad infortunium eorum servatae.

13. Pereunt forte illae casu aliquo infelici, et filius, quem genuit, nil quicquam earum haereditat.

14. Quemadmodum e matris utero nudus ille prodiit, decedit iterum, prorsus ut venit, nec quicquam aufert de rebus manuum labore partis.

15. Itaque etiam hoc est malum aegritudine afficiens, quod omnino, ut venit, sic abit, nihilque emolumenti illi, quod in ventum laboravit,

16. quodque omnibus diebus vitae suae in obscuro comedit multumque indignationis aegritudinis et irae habuit.

17. En igitur quam recte vere bonum in eo consistere iudicari, si quis sorte

M

sua

sua contentus, ut decet, edit et bibit percipitque laborum suorum omnium fructum, quibus defungitur sub hoc sole per paucos, quos Deus ei concessit, vitae suae dies,

18. quodque omnis homo, cui Deus divitias opesque dederit, copiamque edendi de illis auferendique quae ei tributa sunt, gaudendi denique de labore suo partis, habeat id Dei munere ac beneficio;

19. Neque enim is multorum actae vitae casuum memoriam refricabit, quoniam Deus ad laetitiam animi eius votis eius omnibus respondet.\*).

## C A P V T VI.

1. Est malum, quod vidi sub hoc sole quodque vehementer vexat homines:

2. Homo, cui dat Deus divitias et opes magnasque facultates\*\*), nec cuiusquam ipse

\*) Denno repetit et confirmat postremis his 3. versibus, quod C. II. 24. et III. 13. tanquam unicum, quod ex omni hominis labore ad eum redundet, bonum praedicarat.

\*\*) hoc sensu sumendum hic voc. כבוד, honoris enim non capax est, qui describitur in sequentibus. Vid. Gen. XXXI. 1.

ipse indiget, quidquid appetierit, neque datum est ei, ut suarum ipse rerum dominus esset, liceretque ei edere de iis\*), sed peregrino cuiquam id datum est, quod sane vanitas et mala lues est.

3. Si vel centum ille genuerit filios multosque annos vixerit,isque, quamdiu-cunque aetatem prorogarit, appetitum non expleverit de bonis, quae habet, exequiarum denique etiam honore caruerit\*\*), hoc ego homine vel foetum abortivum praedicarem feliciorum.

4. Quanquam enim hic in nebula quasi nascitur et in tenebris decedit tenebrisque opertum est nomen eius,

5. quin solem non vidit, nullamque eius notitiam habet, in tranquillitate tamen est, qua ille\*\*\*) non fruitur.

6. Et quamvis ille bis mille annos viveret, si bonis huius vitae non frueretur, (quid

\*) antitethon eius, quod v. 18. Cap. sup. dictum est.

\*\*) קבורה hic non est sepultura ipsa, sed sepulturae ac funeris honor. A nemine lugentur post mortem, qui nullius in vita amici fuerunt.

\*\*\*) dives avarus. GENIUS recte observat, pronomen ור, quod priori stet loco, semper nomen propinquius respicere, posterius vero nomen remotius, coll. C. III. 19. VII. 14. 18. XI. 6.

(quid esset); nonne ad eundem locum uterque \*) abit?

7. Quidquid laborat homo, est pro ore eius, et appetitus tamen eius non satietur \*\*)?

8. Quantum vero praerogativae est sapienti prae stulto, quantum vel pauperi, qui scit versari inter viventes \*\*\*).

9. Praestat, quod quis oculis videt \*\*\*\*), eo, quod quis appetit, quod itidem vanum est et cum aegritudine coniunctum.

10. Quidquid sit aliquis \*\*\*\*\*), dudum ille suo insignitus est nomine; notumque, quod

\*) Obiici posset, vivere tamen avarum, quod de foetu abortivo dici non possit. Ad hanc objectionem *απορροιας* respondetur: vivere omnino illum, sed, si vel bis mille viveret annos, ad unum tamen eundemque locum abire tandem utrumque, (cf. *חבל* C. III. 20.) q. d. avarum aequè inhonorum post mortem esse, ac foetum abortivum, nec ullam sui memoriam, ullum sui desiderium relinquere.

\*\*) Interrogatio, qualis C. II. 24. vid. not. ibi.

\*\*) Contrarium hominis, qui semper in tenebris versatur, in gazis suis quasi vivens sepultus.

\*\*\*\*) quod itaque praesens et certum est.

\*\*\*\*\*) sive dives sive pauper, seu nobilioris seu vilioris conditionis.

quod homo sit, nec certare possit cum eo, qui potentior est ipso.

11. Ubi multum verborum \*) est, eo plus vanitatis est, quid utilitatis ultra habet homo?

12. Quis enim scire potest, quid bonum sit homini in hac vita, per paucos vitae eius evanidae dies, qui sunt ipsi quasi umbra, quis notum facere homini, quid eventurum sit post eum sub hoc sole?

## C A P V T VII.

1. Praestat nominis honestas unguento bene olenti, et dies mortis diei, quo quis nascitur \*\*).

2. Praestat ire in domum, ubi luctus funebris, quam in domum, ubi convivium est; illum quippe exitum habent omnes homines, et viventis cuiusque est, id secum reputare.

3. Praestat indignabundum esse, quam ridibundum et hilarem, per vultus enim tristitiam animus potest erigi.

4.

\*) querelarum nempe, quibus nihil efficitur, quaeque adeo, quo frequentiores sunt, eo valentius probant, queritantem hominem esse (v. 10.) nihilque amplius.

\*\*) die mortis demum, quis fuerit, qui moritur, cognoscitur.

4. Libentius sapientes in domo luctuosa, stulti in domo laeta morantur.

5. Praestat audire reprehensiones sapientis, quam si quis audit cantica stultorum;

6. nam sicut strepitus spinarum sub olla, visus stultorum. Vana igitur et haec esse intelligitur.

7. Certum est, violentiam in opprimendis aliis infatuare posse sapientem, et pervertere sanam rationem donationes \*).

8. Praestat exitus rei eius initio, et longanimis \*\*) eo, qui elato est spiritu.

9. Ne praecipiti ad irascendum affectu sis, nam ira in sinu stultorum sedem habet.

10. Ne quaeras, cur dies pristini meliores fuerint his; non enim sapientis est, hoc interrogare:

II.

\*) כִּי hinc asseverandi vim habere, sententia ipsa vero per incisum quasi rationem reddere videtur cum stultitiae stultorum, de quibus modo sermo erat, tum vitandi cum iis consortii, quod consuetudine cum iis atque eorum exemplo etiam sapientes ipsi perverti facile possint.

\*\*) qui ad expectandum rei exitum sat patientiae habet.

II. Praeclarum quid est sapientia coniuncta cum patrimonio, magnamque dat praerogativam iis, qui hunc solem adspiciunt;

12. nam praesidium \*) est sapientia, praesidium argentum, sed primas tenet scientia; sapientia namque beatos reddit possessores suos.

13. Adspice opera divina, nam quis potest rectum reddere, quod Deus curvum esse voluit \*\*)?

14. Die fausto bono sis animo, et die infausto cogita, Deum etiam hunc illi adiunxisse, eo consilio, ut ne inveniatur homo eorum, quae post erunt, quicquam \*\*\*).

15. Omnium rerum contemplator fui in hac vitae meae vanitate. Est iustus; qui immatura morte obit, utut iustus, estque in-

\*) כֶּלֶל i. q. צֶלַע. Ut ב nominativo praedicati praepositur, idiotismus Arabibus frequens, nec Ebraeis insolitus est. Sic Prov. III. 26. כֶּסֶלֶךְ. Vid. STORNI Observv. pag. 451. Ad vocem צֶלַע cf. Ps. CXXI. 5.

\*\*) Cf. Cap. I. 15.

\*\*\*). Cf. C. III. 22. VI. 12. Felix est ignorantia futurorum.

iniustus prolongans mortis diem, utut sit improbus.

16. Ne sis nimis iustus, nec sapientior, quam fas est, ne temet ipsum perdas.

17. Vicissim ne nimis sis iniustus, nec imprudens sis, ne ante tempus tuum moriendum tibi sit.

18. Felicem te, si teneas unum, atque etiam ab altero non abstineas; nam qui Deum reveretur, utrumque illud \*) evitabit.

19. Sapientia \*\*) plus roboris conciliat sapienti, quam decem, qui sunt in urbe aliqua, imperatores.

20. Nemo sane usque eo in hoc terrarum orbe iustus est, ut omnino bene agat nullaue in re peccet.

21. Cave porro ad omnia, quae loquuntur homines, attendas, ut ne vel servum tuum male de te loqui audias;

22.

\*) Cf. nott. ad C. VI. 5. et 6. Nimis iustus et sapiens est, qui Deum vituperat, h. e. Deum ipsum tollit, nimis iniustus insimulque imprudens, qui omnium rerum securus vivit omnemque religionem excutit, quod multis iam via ad supplicii poenam fuit.

\*\*) eadem, de qua praesidium eam esse dictum est v. 13. et beatos reddere, qui ea sint praediti.

22. nam etiam te multis iam vicibus male de aliis locutum esse, tute tibi conscius es.

23. In his omnibus exercere memet studui, sapienter me vivere et agere velle decrevi, id ipsum vero procul a me abfuit.

24. Procul abfuit, quod ante aderat, inque profundum tam penitus demersum, ut vix inde erui possit.

25. Verti me \*) igitur attendique animum, ut cognoscerem, explorarem exquirereque sapientiam et recte cogitandi artem, dignosceremque pravitatem stultitiae atque insipientiam, insaniam denique;

26. tumque inveni ego aliquid ipsa morte amarius, mulierem quippe illam, cuius mens retia et sagenae, cuiusque manus vincula sunt, quam qui Deo placet, solus effugit, cum contra improbus quisque per eam capiatur \*\*).

27.

\*) יָנָה est hic accus. casu sumtum, ut Genes. XXVII. 38.

\*\*) Oratione paulo minus figurata Paulus Rom. VII. 21. et Iacobus C. I. 14. 15. idem fere dicunt.

27. Vide, hoc est, quod inveni, inquit Kohaelaet \*), unum cum altero contendendo, ut quid cogitandum sit ea de re, invenirem.

28. Quod amplius quaesivi, nec inveni, hoc est: hominem unicum forte e millenis inveni \*\*), in his vero omnibus mulierem non inveni \*\*\*).

29. Solum ecce hoc inveni, quod Deus hominem rectum fecerit, illi vero varii generis ingenii commentis student.

### C A P V T VIII.

1. Quis est sapienti similis, et quis novit interpretationem rei \*\*\*\*)?

Sapientia hominis serenat \*\*\*\*\*) faciem eius, et inhumanitas vultus eius mitigatur.

2.

\*) fortasse legendum: אמר הקהל, ut C. XII. 8.

\*\*) qui cum cognitione eius, quod optimum factu esset, etiam voluntatem eius faciendi coniungeret, perfectumque virtutis exemplar esset.

\*\*\*)) Dari fortasse, non omnino, sed se tantum aliam quam eius generis invenisse negat.

\*\*\*\*)) aenigmati ante propositi.

\*\*\*\*\*)) Prov. XVI. 15. XXIX. 13. coll. Ps. XIX. 9. Etiam eam ob causam, quod mollit mores humanioresque reddit, plurimum confert sapientia ad minuendam vitae humanae miseriam.

2. Meo consilio \*), iussa regis observa, idque ob iuramenti religionem.

3. Ne praeceptis sis ad deficiendum ab eo, nec malae cuiusquam rei consors, nam quidquid vult facit;

4. mandatum quippe regis summae auctoritatis est, nec quisquam eum ad rationem reddendam adiget:

5. Qui legem observat, nullius malae rei sibi conscius erit, tempus vero et iudicium scit reputatque secum sapiens.

6. Habet nimirum coeptum hominum quodvis suum tempus et iudicationem eo quod magna est, in quam delapsus est genus humanum, nequitia \*\*).

7. Cum homo nescit multa, quae futura sint, quomodo resciscere possit.

8. Nemo spiritus sui potens est sic, ut cohibere eum possit, nec potestas quicquam valet in die mortis, neque libertatis donatio locum habet in hoc certamine, nec iniustitia servat suos.

9. Omnia haec vidi accurateque attendi ad omne, quod fit sub hoc sole. Vidi, tem-

\*) לXX. omittunt eorumque exemplum sequuntur interpretes etiam alii non contemnendi.

\*\*) Cf. eandem phrasin Gen. VI. 5.

tempus esse, quo dominantur homines in homines, et quidem damno his,

10. simulque vidi improbos sepeliri, cumque occiderent \*), e loco quasi sancto efferebantur, cum contra oblivioni traderentur; qui, quod rectum est, fecerant\*\*), novo vanitatis argumento.

11. Quod itaque de male factis non continuo sententia fertur indicialis, ea propter eo animosiores ad male agendum fiunt homines.

12. Sit vero, ut peccator centenis vicibus \*\*\*) male agat, et vita eius prolongetur, certus tamen de eo sum, quod bene futurum sit reverentibus Deum, quod revereantur eum.

13. Nec bene erit iniusto, nec prolongabit dies, sicut umbra erit, cui nulla Dei reverentia est.

14. Ad communem rerum, quae in hac terra fiunt, vanitatem id referendum est, quod

\*) וְבָאוּ phrasis ab occidente sole mutuata. Cf. Ier. XV. 9. est vero protasis, et וְיָלֵכוּ מִמָּקוֹם קִדּוּשׁ יְהוָה apodosis.

\*\*) sic: כֵּן דְּבָרֹת recte loquentes.

\*\*\*) adverbii vicem sustinet, ut רַבֵּן Ps. LXV. 10. subintell. מְעַמִּיק.

quod iusti sunt, quibus, quod iniustorum factis, et iniusti, quibus, quod iustorum factis convenire magis videri possit, obtingit. Illam igitur ex hoc etiam conspici declaravi.

15. laudavique laetitiam, quod nil quicquam boni sit homini sub hoc sole, nisi ut edat et bibat et laetetur, quodque hoc sit, quod ei cedat \*) pro labore suo his, quos vivere ei dedit Deus sub hoc sole, diebus.

16. Cum enim applicui animum meum ad cognoscendam sapientiam, et ad contemplandum quodvis, quo occupatur homo in hac terra, quandoquidem nocte dieque somnum oculis suis nullum videt,

17. tum vidi universum regiminis divini opus, quod non possit invenire homo hoc, quo, quae fiunt sub hoc sole, continentur omnia, quodque, quantumvis operae ad illud explorandum impenderit homo, id non invenerit, et si vel sapienti

\*) LXX. συμπροσσεσται αὐτῷ. Vulg. hoc solum secum aufert. Idem itaque sensus, qui phraseos: הוּא חֵלְקוֹ C. V. 17. neque is ab usu verbi ebr. alienus, quod in Niphal maxime significat: se alteri associare, adhaerere.

pianti id resciscere propositum sit, is non magis sit inventurus \*).

## CAPVT IX.

1. Equidem haec omnia ad animum revocavi, idque ad accurate disquirendum, quid sit hoc omne, quod iusti et sapientes et opera eorum sint in manu Dei, utrum plus an minus amare \*\*) eos velit. Nihil omnium intelligunt homines, quae sunt ipsis ante oculos.

2. Omnium universe eadem est conditio, idemque accidit iusto et iniusto, probo puroque et impuro, sacra facienti et profano, probi hominis improbique eadem sors, temere iurantis ut eius, qui iuramenti religione tangitur.

3.

\*) Confirmat haec, quae hoc v. et praeced. dicuntur, ea, quae v. 15. et iam ante C. II. 24. et III. 12. dicta sunt, nil melius homini obtingere posse in hac vita, quam animus sua sorte contentus laetaque fructio eorum, quae Deus ei concessit, et certa persuasio, Deum etiam in iis, quae non intelligimus, sapientissimum optimumque gubernatorem esse.

\*\*) i. e. maioribus aut minoribus beneficiis eos ornare. Hoc usu sumta verba אֶרֶב et שָׁנָא Mal. I. 2. 3. coll. Rom. IX. 13. Semet ipsum explicat auctor v. seq.

3. Hoc omnium, quae sub hoc sole fiunt, pessimum \*), quod idem accadat omnibus, unde homines eo animosiores sunt ad improbitatem \*\*) et multifaria insania est in eorum animis, quoad vivunt, tumquē ad mortuos abeunt.

4. Nam quis est, qui a communi mortalitatis lege exceptus esset \*\*\*)? Quoad viventes quidem universe adhuc spes est, siquidem, ut aiunt, canis viventis melior est conditio, quam leonis mortui.

5. Sciunt certe viventes, quod morituri sint, mortui vero nil quicquam sciunt, nec meriti cuiusquam capaces sunt amplius, quod in oblivionem venit eorum memoria.

6. Cum amor, tum odium, invidia denique eorum iam exolevit, nec pars eis amplius in aeternum ullius rei, quae sit sub hoc sole.

7.

\*) חֶבֶל בְּבֵל periphrasis superlativi. Cf. Thr. I. 1. Cant. I. 8. Ios. XIV. 15.

\*\*) Cf. VIII. 11.

\*\*\*) Hoc lectio textualis dicere velle videtur, est, que illa convenientior contextui, quam marginali, cuius sensus esset: quis est, qui associari velit, sc. mortuis.

7. Age igitur \*), ede cum laetitia panem tuum hilarique animo \*\*) bibe vinum tuum, nunc enim Deus incepta tua secundat.

8. Fac, vestes tuae semper sint candidae, et unguentum capiti tuo non desit.

9. Fruere vita cum uxore, quam amas, omnibus concessis tibi sub hoc sole vitae tuae evanidae diebus, omnibus, inquam, vanitatis huius tuae diebus; haec enim sors tua in hac vita interque labores tuos, quibus sub hoc sole defungaris..

10. Quidquid tibi obvenit negotii, fac pro viribus, quum nihil negotii, aut artis, aut scientiae ac sapientiae sit in statu mortis, quorsum tu abis.

11. Aliud quiddam porro animadverti sub hoc sole, quod non sit in potestate vel celerum cursus felicior, vel fortium pugnae exitus, nec in potestate sapientum victus copia, aut prudentium opum affluentia, aut eruditorum applausus, sed

\*) Quod tanquam unice bonum in hac vita C. II. 24. III. 12. 22. VIII. 15., praedicaverat, denuo atque exinde etiam, quod nullum proborum inter et improborum sortem discrimen hic conspici possit, hoc v. et seqq. commendatur.

\*\*) Vid. Iud. XVI. 25. I. Sam. XXV. 36. I. Reg. XXI. 7. Esth. V. 9. Oppos. לֹב-רָע. Prov. XXV. 20.

tempus et casus apud illos omnes intercedant.

12. Quin etiam tempus suum nescit homo, sicut pisces, qui capiuntur reti fatali, utque aves, quae tendicula capiuntur, sic irretiuntur \*) homines tempore fatali, quum hoc illis ingruit non opinantibus.

13. Animadverti vero etiam hoc, sapientia sub hoc sole quid sit, magnique eam aestimare didici.

14. Erat \*\*) oppidulum parvum et pauci in eo homines, ad quod accessit rex magnus cinxitque illud et struxit adversus illud ingentes machinas obsidionales.

15. Inventus vero est in eo vir pauper idemque sapiens, qui servavit oppidulum sapientiae suae ope, nec quisquam cogitaverat de viro illo paupere.

16. Iudicavi igitur, sapientiam praestare fortitudini, quamvis \*\*\*) sapientia pauperis temnatur, nec audiantur eius consilia.

17.

\*) יִקְשִׁי forma particip. Pual, ut Iud. XIII. 8. II. Reg. II. 10. Ex. XXXI. 15. Prox. XXV. 19.

\*\*) Parabola.

\*\*\*) Sic 1 usurpatum Gen. XVIII. 27.

17. Consilia sapientum placide data et attente audita plus valent, quam clamores imperatoris inter inconsiderantes homines.

18. Praestat item sapientia instrumentis bellicis, et vel unicus, qui allucinatur, plurimum boni subvertit.

## CAPUT X.

I. Ut enim muscae mortuae foetidum odorem conciliant \*) unguento aromatico quantumvis pretioso \*\*), sic ex sapientia atque ex honore vel paululum admixtae insipientiae male olet \*\*\*).

2.

\*) מֵאִשׁ יָבִיעַ ad verbum: *foetidum eshalare faciunt odorem*. Habet itaque verbum prius vim adverbii et copula ideo caret alterum, ut I. Sam. II. 3. Ier. XIII. 18. et alibi.

\*\*) iuxta accentuum praescriptum יָקָר cum seq. מְכֻבָּד מְכֻבָּד coniungendum esset, *utque ob sapientiam et famam pretiosus* designaretur, sed ab usu linguae abhorre videtur haec phrasis, unde rectius cum שֶׁמֶן רֻקָּה coniungitur.

\*\*\*). Ex priori comparationis membro repetendum est ad posterius: מִבְּאִישׁ מְעִיֵּץ. Sic omnis difficultas evanescit.

2. Cor sapientis est ei ad dextram, cor stulti ad sinistram eius \*).

3. Quacunque via iverit \*\*) insipiens, ab intellectu suo destituitur, et tamen alia omnia insipientiae accusat.

4. Cum ira \*\*\* ) dominantis efferbuerit contra te, cave, loco tuo moveri te patiaris, nam moderamen \*\*\*\* ) magnas etiam intemperantias sedat.

5. Mala res est, quam vidi sub hoc sole, estque illa quasi homicidium per imprudentiam commissum \*\*\*\*\* ) ab eo profectum, penes quem summa potestas est;

6.

\*) Oxymoron, cuius sensus: dextre utitur intellectu suo iudicandique facultate. Oppositum est in seq. v.

\*\*) i. e. quidquid suscepit.

\*\*\*). Ut רִיחַ quamvis animi commotionem, sic hic speciatim idem, quod רִיחַ ira, significat. Cf. II. Sam. XI. 20.

\*\*\*\*). מְרַפָּא a רָפָא, cum א commutato, ut supra in יְשׁוּאָה C. VIII. 1.

\*\*\*\*\*). hanc vim habere hic voc. שְׁגָרָה ipsum כּ praefixum indicat. Cf. Lev. V. 18. Ios. XX. 3.

6. cum insipientes homines\*) ad summa dignitatis fastigia evehuntur et nobiliores\*\*) humili in conditione manent.

7. Servos vidi equis vehentes, et principes; ut servos, pedibus euntes.

8. Qui fodit foveam\*\*\*), in eam incidet, perrumpentemque maceriem mordebit serpens.

9. Removens lapides dolorem et scindens ligna periculum inde sibi attrahet.

10. Cum hebetatum est ferrum, aciesque eius non exacuitur, vires quidem ictum valentiores efficiunt\*\*\*\*), sapientius vero est, aptius illud ad caedendum reddere\*\*\*\*\*).

II.

\*) סבל abstractum pro concreto, ut supra v. 1. כבוד et חכמה.

\*\*) hoc valet voc. עשיר et hinc, quod et v. sq. confirmat, et infra v. 20.

\*\*\*). Voc. גומץ rad. chald. significat: fodit, et גומץ etiam Syris fovea.

\*\*\*\*). Cf. גברתא Zach. X. 12. ubi LXX. per αὐτοὺς αὐτοὺς vertunt. Sing. גבר pro Plur. גברו idiotismo non infrequenti et supra quoque v. 1. infraque v. 12. obvio.

\*\*\*\*\*). ad verbum: praestat adaptare sapienter, הבשר enim significat: facere ut aliquid bene succ-

11. Si mordet serpens venenum habens\*), nihil ei praestat homo maledicus\*\*).

12. Verba ex ore sapientis gratiam ipsi conciliant, labia vero stulti eum ipsum absumunt\*\*\*).

13. Quidquid is loquitur, incipit a stultiloquio et desinit in pessimum insaniae genus.

14. Et gloriatur quidem stultus multa\*\*\*\*), cum tamen nemo sciat, quid futurum sit; ecquis enim, quid post eum futurum sit, ei notum fecerit?

15.

succedat, coll. C. II. 21. IV. 4. XI. 6. hinc itaque facere, ut lignorum caesio melius succedat. חכמה vero positum est pro בחכמה, atque vim adversarii habet. Vid not. ad Prov. II. 7. extr. Emendare, quae vetustate longoque usu obtusa minusque apta facta sunt, quam vi adhibita tollere, melius esse, dicit haec sententia.

\*) nil plus dicit: בלא - לחש. Ex opinione vulgi traxit lingua huiusmodi loquendi formas, qualis etiam Ps. LVIII. 6. occurrit.

\*\*) ut בעל אף et איש חמות Prov. XXII. 24. idem valent, sic איש לשון Ps. CXL. 12. coll. v. 4. et בעל לשון hinc.

\*\*\*). Cf. similem antithesin et constructionem Prov. XIV. 3.

\*\*\*\*). quae et quanta efficiat, et quid vel ad seram posteritatem utilitatis inde sit redundaturum.

15. Labor stultorum inutiliter fatigat quemlibet eorum, quod ad propositum suum venire nescit \*).

16. O quam infelix es terra, cuius rex imprudens est, cuiusque principes intempestive epulantur.

17. Felicem vero te, o terra, cuius rex nobili genere prognatus est, cuiusque principes iusto tempore epulantur, heroes non heluones.

18. Per pigritiam subsidit contignatio, et ubi manuum demissio est, perpluet domus.

19. Oblectationis quippe gratia convivia parant, vinoque vitam sibi laetiores reddunt, et, quidquid lubet ipsis, argentum secundat.

20.

\*) est locutio proverbialis similis illi, quae Prov. XII. 27. occurrit, ab urbe probe munita et expugnanda desumpta, ad quam aditum invenire nescit, qui eam oppugnat adeoque operam perdit. Originem fortasse traxit ab historia II. Sam. V. 6 — 8. Dicitur certe ibi v. 8. in proverbium abiisse, caecos et claudos non ingressuros esse domum.

20. Etiam te solo eius conscio \*) noli conviciari regem, et ne in interiori quidem aliquo cubiculi tui secessu convicieris nobiliorum aliquem, quod vel volucres in aëre devehunt vocem, et quidquid alas habet, denuntiat, quae abs te dicta sunt.

## CAPUT XI.

1. Committe opes tuas \*\*) pelago, post temporis enim sat longi intervallum recipies eas cum foenore.

2. In partes voca septem aut octo \*\*\*), quod nescis, quid infortunii existere possit in hac terra.

3. Cum plenae sunt nubes, pluviam in terram effundunt, cum cadit arbor, sive meridiem, sive septentrionem versus cadat, quorsumcunque ceciderit, istic erit \*\*\*\*).

4.

\*) LXX. ἐν τῇ συνειδήσει σου.

\*\*) hoc sensu generaliori sumtum מִן הַיָּם Prov. XXXI.

14. Ies. LVIII. 7.

\*\*\*) ne, si forte naufragium feceris, omnia simul pereant.

\*\*\*\*) Dantur omnino eventus, qui nec certo praevideri, nec ulla circumspectione caveri, nec, cum ac-

4. Qui ventum curiosius observat, non seret, et nubium spectator non metet.

5. Quemadmodum vero tu venti cursum non intelligis, nec ossium conformationem in utero gravidæ, sic non intelligis Dei omnia efficientis opus.

6. Mane itaque sere semen tuum, nec vespere manum remitte \*), neque enim nosti, utrum hoc illudve bonum habiturum sit successum, an utrumque pariter bene sit successurum.

7. Dulcis equidem est lux vitæ, et iucundum oculis, solem adspicere.

8. Quodsi vero etiam complures annos vixerit homo, per illos quidem omnes laetatur, meminerit vero etiam dierum nubilorum, quorum non minus multi erunt, quidquid enim futurum est, (ut praesens) vanum et mutabile est.

9. Laetare itaque iuvenis tempore iuventutis tuæ hilarique sis animo durante iuventutis tuæ vigore, i, quorsumcunque tuus

accidunt, averti possunt. יְהוָה est forma apoc. a יְהוָה ut יְהוָה a יְהוָה cum א parag. ut in יְהוָה Job. XXXVII. 6.

\*) h. e. quodvis tempus et quamvis occasionem in usus tuos verte, fac tua, quæ tua sunt, cetera linque Deo.

tuus te fert animus oculique te tui invitant, scito vero etiam, propter hæc omnia Deum te in iudicium esse vocaturum.

10. Abesse iube ex animo moerorem et missum fac incommodum quodvis ex corpore tuo, quod iuventus et aurora æque sunt evanida.

## C A P V T XII.

1. Memento vero etiam creatoris tui tempore iuventutis tuæ, et quoad nondum ingruunt dies mali annique adsunt, quos iucundos tibi esse negabis,

2. quoad nondum obscuratur solis lumen, itemque luna et stellæ, exoriunturque novæ post imbrem nubes \*).

3. quum nutabunt custodes domus et incurvabunt se viri fortes \*\*), feriabunturque ancillæ molitrices \*\*\*) quod ad paucita-

\*) aliud subinde incommodum excipit aliud, unde senectus ipsa morbus dicitur.

\*\*) per custodes domus et viros robustos iunctim membra corporis validiora, in quibus imprimis vis et robur eius consistit, ut manus, brachia, pedes, spina dorsi eiusque vertebrae, indigitantur.

\*\*\*) dentes, quod in Oriente moris erat, ut ancillæ molas agerent. Exod. XI. 5. Ies. XLVII.

2. Matth. XXIV. 41.

citatem redactae sunt, caligabunt denique, quae per fenestras prospiciunt \*).

4. Valvae item forium \*\*) extrorsum clauduntur, cum sonitus molitionis languescet, et, si elevare se conabitur, aviculae vox erit \*\*\*), omnesque soni musici deprimentur.

5. Altiora porro quaevis timebuntur et, quidquid obvium erit, territabit, sive amygdalus floreat, sive locusta pinguescat, sive capparitis glans corticem rumpat \*\*\*\*), quandoquidem in eo est, ut homo in serius diuturniusque suum domicilium demigret, plangentesque iam fere ante fores circumeant.

6. Quoad nondum constringendo dirumpitur funis argenteus et conquassatur globus aureus, aut frangitur hydria ad fontem conquassaturque trochlea ad puteum \*\*\*\*\*).

7.

\*) *oculi*, qui per cava, quibus continentur, tanquam per fenestras prospiciunt.

\*\*) *os et labia*. Cf. Matth. XV. 11.

\*\*\*) vid. Excurs. I. sub fine Cap.

\*\*\*\*) quovis anni tempore, quo deambulat aliis ire solent, qui vegeta adhuc aetate sunt. Vid. Exc. II. sub fine Cap.

\*\*\*\*\*) Ut v. 2—5. senectutis, sic hoc et seq. v. mortis ipsius continetur descriptio, lectis ad eam

dua-

7. ac redit pulvis hic ad humum, unde originem traxit, spiritus vero ad Deum, qui dedit illum, revertitur.

8. O vanissimam vanitatem! inquit Kohleth, quam sunt omnia vana!

9. Quod reliquum est, Kohleth et ipse erat sapiens et populum scitu digna docebat, auscultabat item et scrutabatur, concinnabat denique sententiarum insignem multitudinem.

10. Studebat idem etiam iucunditati sermonis, et quaecunque scriberet, recta, quae eloqueretur, veritati erant consentanea.

11. Enuntiata sapientum sunt velut stimuli et velut clavi alte infixi \*). Auctores

duabus imaginibus, quarum altera a pendente candelabro, cuius funis rumpitur et globus, h. e. lecythus, ex quo oleum per tubulos in lampades defluit (Zach. IV. 2.) frangitur, altera a puteo, cuius hydria et trochlea franguntur. Utrâque ad sanguinis in corpore vivo fluxum motumque, in quo vitae mortisque discrimen est, respici, per se clarum est.

\*) i. e. plurimum valent ad homines cum excitandos ad virtutis studium, tum in eo confirmandos.

res collectionis \*) constituti sunt ab uno, qui praeerat negotio.

12. Quidquid ultra haec est, ab iis, mi fili, cave tibi; librorum enim scribendorum nullus est finis, et animi ingeniiue nimia contentio \*\*) fatigat corpus.

13. Summam denique complexumque doctrinae omnis audiamus: Deum reverere, et praecepta eius serva, id enim omnium hominum officium est,

14. quandoquidem omnia facta Deus adducet in iudicium, praecipue \*\*\*) occulta omnia, sive bona sint, sive mala.

\*) per auctores collectionis intelligendi sine dubio viri sapientes, quorum opera et ad colligendas sententiarum praecipuas optimasque et ad inculcandas illas in scholis iuvenum animis utebatur Salomo, quorumque dux et praefectus primarius ipse, et suo quidem iure, erat. Cf. I. Reg. IV 31.

\*\*) לִהְיוֹת א. ל. LXX. per μελετη verterunt et ab הנה deduxisse videntur. Sed rad. arab., ut Aben Ezra iam monuit, significat: *avide optavit, avidus, deditus, addictus fuit rei*. Plures sententiarum collectiones etiam ab aliis, qui sapientum in numero censeri vellent, Salomonis iam tempore facta esse videntur, quarum usu ut abstineant, monet iuvenes.

\*\*\* ) adverbialiter usurpatum hic לֵךְ esse admodum probabile est.

EX-

## E X C V R S. I.

ad CAP. XII. 4.

וְיָקוֹם לְקוֹל הַצִּפּוֹר a plerisque de somni defectu et raritate apud senes intelligitur. Sic MICHAELIS: *ehe man bei dem Laut eines Vogels aufsteht*, DOEBERLEIN: *da man beim Sang der Vögel früh erwacht*, DATHE: *et surgetur ad avis vocem*, SPOHN: *ehe du noch beim Gesang der Vögel aufstehest*. Enim vero aliud est, expurgisci mane, quod omnino senum est, a surgere. Deinde, cum et quae antecedunt et quae sequuntur vocis et sonorum imminutionem innuant, non apparet, qua cogitandi ratione inter haec somni eiusque raritatis mentio iniici potuerit. Rectius itaque alii etiam haec verba de vocis et sonorum imminutione intelligunt, hoc sensu: *adsurget*, sc. sonitus molitionis, *in vocem*, vel secundum SCHMIDIVM: *subsistet intra vocem aviculae*, ut sic vox senum pipiens quasi et exigna indicetur. Conf. quoad verba et phrases Ies. XXIX. 4. וְיָקוֹם vero antecedenti קוֹל בְּשׂוּפֵל קוֹל oppositum esse videtur et protasis esse verborum לְקוֹל הַצִּפּוֹר, sensu in versione expresso: *aviculae*, i. e. ut *aviculae*, *vox erit*, prorsus, ut Ies. XXXV. 7. *gramen excrescit וְיָקָם וְיָקָם in calamum et iuncum*, i. e. ut *calamus et iuncus*.

EX-

*E X C U R S. II.*

ad v. 5. eiusd. CAP.

Senes abs quavis asperiori via vel eminentiori loco sibi metuere vererique, ne pedem allidant aut prorsus procidant, nihil difficultatis habet. Quid vero tum sibi velint adiuncta tria enuntiata: וַיֵּץ הַשֶּׁקֶר, וַיִּתְּן הָאֱלֹהִים, וַיִּתְּן הָאֱלֹהִים, non acque facile est intellectu multumque negotii fecit interpretibus. Verisimillimum autem est, esse illa trium anni temporum, veris, aestatis et auctumni *παιδικαῖς*, nec designari per illa alias aliasque cum senectute coniunctas molestias, sed amplificari, quae ante de metusenum in eundo gradiendoque dicta sunt, hac ulteriori significatione, quod ille metus vel his anni temporibus quae alias ad exeundum in amoena campi vireta imprimis opportuna sint, locum habeat. Sed videamus de singulis, atque num vocum significatus admitat hanc interpretationem. Est itaque וַיֵּץ fut Hiphil a וָץ, inserto א epenthético, significatque: *florere incipit*, ut praet. וַיִּצַּח Cant. VI. 10., unde recte vertuntur LXX. per: *αυθιται αμυγδαλος*. Ut igitur Cant. II. 12. 13. veris tempus uberius et per plura, quae cum eo coniuncta esse solent, sic hic per unam florentis amygdali commemorationem brevius describitur. Amygdalus nimirum omnium arborum prima est, quae floret.

אֵין est quatuor locustae specierum, quas comedere lege licuit, una Lev. XI. 22. Memorant vero itineraria de locustis illis \*), eas, cum primum veris tem-

tempore in Arabia conspiciantur, valde macilentas esse, et postea demum ex largiori herbarum viridum pastu pinguescere. Iam חֲבֵלִי LXX. vertunt per παχυνθη et Hieronymus per impinguabitur, idque aptissime, nam verus verbi significatus est: *gravem*, i. e. *obesum et pinguem se facere*, quemadmodum etiam Ps. CXLIV. 14. boves *carne et pinguedine graves* חֲבֵלִי קִשְׁיָם dicuntur, quam formam LXX. rursus per παχυνθ reddunt. Cum igitur locustae, macilentae ante, aestate demum pinguescant, וְיִסְתַּבֵּל חֲבֵלִי ad aetatem pertinere clarum est.

Paulo difficilior est intellectus, quid sit, quod ter-  
tio loco adiungitur: ותפר האביונה LXX. hoc per  
διασπασθη η καρπαις; eundemque sensum ex-  
hibent, quoque *Vulg. Syr. et Arabs*. Floret autem  
capparitis in Oriente mense demum Iulio, adeoque  
omnium arborum frutietumque serissime. Quodsi vero  
flores eius tam sero emicant, serius adhuc, et quidem  
auctumni demum tempore, baccae maturescent. Sunt  
autem baccae folliculis inclusae, qui cum baccae ma-  
turitatem suam assequuntur, disrumpuntur ac decidunt.  
Eo spectat verbum תפר פור a *disrumpi* Ies. XXIV.  
19. Per ותפר האביונה itaque auctumni tempus de-  
scribitur. Habuisse autem voc: אביונה *baccae cappa-*  
*ris* significatum; non tantum antiquarum supra memo-  
ratarum versionum testimonio constat, sed ex ipsis  
etiam veterum Hebraeorum monumentis probari potest.  
In Thalmude quippe eiusque Tract. ברכות baccae cap-  
paris אביונות dicuntur cognoscique ex illo ipso Thal-  
mudis loco potest, quo in pretio ille fructus apud ve-  
teres Hebraeos fuerit, quodque vel ipsum corticem co-  
medere non respuerint \*). Unde etiam eo minus mi-  
rum

\* Vid. LANGH *Erdunterungen aus Reisebeschreibungen*, p. 84. f.

\* Vid. RABII versionem Thalmudis germ. p. 277. fs.

rum videri potest, hoc fructu potius, quam uvis, ad describendum auctumni tempus usum fuisse Salomonem. Et vero probabile, id ideo quoque factum esse, quod cappares in locis planis, sabulosis siccisque maxime nascuntur, cum contra vites in montium declivibus plantentur, quae accessu adhuc difficiliora sunt senibus.

Si denique notetur, futura: — ויחבל — ויחבל ויחבל conjunctivorum potentialium, et repetitum <sup>1</sup>, ut saepe, v. c. Exod. VII. 19. Job. XXXIV. 29. Dan. VIII. 13. eandem, quam Latinorum. *sive* — *sive*, aut *cum* — *tum* vim habere, nihil amplius difficultatis superest.

## CANTICVM CANTICORVM.

## C A P V T I.

1. Canticum canticorum \*), auctore Salomone,

S P O N S A.

2. O si me osculorum suorum aliquibus exoscularetur!

Iucundiores amplexus tui \*\*) sunt vino.

3. Cui odor \*\*\* ) unguentorum tuorum optimorum,

ceu unguentum liquidum \*\*\*\* ) est vel sola tui commemoratio,

ideoque puellae te adamant.

4.

\*) Idem fere esse videtur, quod Graecis *αιωνολιον*. Vid. Excursus I.

\*\*) Vid. *לחם* Prov. VII. 18.

\*\*\* ) Praef. *ל* inservit nonnunquam comparationi, ut Iob. XXXIX. 16. in *ללל-לה*, Coh. XII. 4. in *לוקל*.

\*\*\*\* ) ante *תורק* subintelligendum, ut saepe ante verba, *אשר*.

4. Trahe me, lubentes sequemur te,  
quasi me rex introduceret in concla-  
via sua,  
exultabimus laetabimurque de te,  
celebrabimus amplexus tuos magis  
quam vinum,  
magis, quam vinum optimum amores  
tuos \*).
5. Nigra ego, sed venusta tamen, virgi-  
nes hierosolymitanæ,  
ut tentoria Kedarenorum, ut aulaea  
Salomonis,
6. Ne despiciatis me, quod nigra sim,  
quod sol me adusserit.  
Fratres mei, irati mihi,  
constituerunt me vinearum custodem.  
Ne propriam quidem vineam custo-  
divi \*\*).
7. Notum fac mihi tu, quem intime amo,  
ubi pascas, ubi meridianam quietem  
des gregi?  
Quare enim ego sim quasi pullata \*\*\*)  
apud greges sodalium tuorum?

SPON-

\*) Vid. ad duo extrema h. v. membra Excurs. II.  
\*\*) in amore tota aliarumque rerum omnium oblita.  
\*\*\*) pro חַיָּבָה *Vulg. Syr. et Syriac.* legisse videntur  
חַיָּבָה, *errabunda*; LXX. vero: *μηποτε γενομαι*  
*ως περιβαλλομενη*, recte sine dubio, nam  $\alpha$  compar.  
probat

## S P O N S V S.

8. Si nescis id, mulierum venustissima,  
exi modo, quo te gregum ducent ve-  
stigia,  
et pasce capellas tuas iuxta pastorum  
tuguria,
9. Equis in Pharaonis curribus  
camparo te, o amica mea!
10. Venustae sunt genae tuae inter torques,  
collum tuum cum margaritarum or-  
natu.
11. Torques aureos tibi comparabimus,  
punctis argenteis distinctos,

## S P O N S A.

12. Dum rex suo loco ad convivium ac-  
cubat \*),  
nardus mea odorem suum reddit \*\*).
13. Fasciculus myrrhinus est mihi amicus  
meus,  
molliter recubans inter ubera mea.
14. Botrus cypri est mihi amicus meus,  
in hortis Engeddensibus,

SPON-

probat, significari aliquid, quod persona loquens  
non vere sit, sed esse videri tantum possit. VI.  
duae vestitu lugubri erant obiectae.

\*) Verbi significatus specialis extat I. Sam. XVI. 11.

\*\*) sua sorte se feliciorē sentit, ac si in regio  
esset palatio epulisve assideret regiū.

## SPONSVS.

15. O quam venusta es, amica mea,  
quam venusta es cum columbinis tuis  
ocellis.

## SPONSA.

16. O quam venustus tu, mi amice, quam  
etiam incundus!  
Est etiam thorus noster in viridi,  
17. contignationes domuum nostrarum  
cedri,  
tabulata nostra cupressi.

## CAPVT II.

1. Rosa ego in Saronis valle,  
lilium in convallibus.

## SPONSVS.

2. Ut lilium inter spinas,  
sic amica mea inter puellas.

## SPONSA.

3. Ut malus inter arbores sylvestres,  
sic amicus meus inter iuvenes;  
sub umbra eius cum desiderio sedeo,  
eiusque fructus dulcis palato meo.

4. Ducit is me in domum nuptialem \*)  
et vexillum eius, sub quo eum se-  
quor \*\*), amor est.  
5. Fulcite me frondibus pampineis \*\*\*),  
reficite me malis,  
aegresco enim ex amore ego,  
6. Sinistra eius subdat se capiti meo,  
et dextra eius amplexetur me.

## SPONSVS.

7. Obtestor vos, virgines hierosolymi-  
tanae!  
per dorcadas perque cervas sylvestres,  
ut ne excitetis, neque expergefaciatis  
dilectam hanc,  
donec ipsi libuerit.

## SPON-

\*) בית היין idem hic esse videtur: quod  
משחה Coh. VII. 2., domus nuptialis.

\*\*) cf. אחריו נרצח c. l. 4. Alludi videtur ad  
veterum in ducendis sponsis observari solitum mo-  
rem, iuxta quem לל illis antiquissimis tempori-  
bus fortasse eiusmodi aliquid fuit, quod נרצח se-  
rioribus Iudaeis,

\*\*\*) Arab. <sup>5</sup>أش luxuriant herba indeque <sup>5</sup>أش, eius-  
dem cum ebr. <sup>5</sup>אשיר formae, herba luxuriantior.  
Probabile vero est <sup>5</sup>אשירות hic speciatim vitium  
frondes esse intelligendas. Cf. Hos. III. 1. Sym-  
machus etiam vertit <sup>5</sup>אשירות.

## S P O N S A.

8. Audione vocem amici mei?  
Ecce est — venit —,  
saliens super montibus,  
subsultans super collibus.
9. Doreadi similis est amicus meus  
hinnulove cervino.  
Ecce cum stantem pone parietem  
nostrum,  
prospicientem per fenestras,  
promicantem per transennas!
10. Respondit amicus meus dixitque mihi,  
Age amica mea, deliciae meae, et i  
quaeso!
11. Ecce enim hiems praeteriit,  
aër pluvius commutavit se, desiit.
12. Flores apparent humi,  
tempus cantillationis avium venit,  
vox turturis auditur in terra nostra.
13. Ficus condit grossulos suos,  
et vites florentes odorem spirant;  
Age igitur amica mea, deliciae meae  
et i quaeso!
14. Columba mea in petrarum fissuris,  
in praecipitii latebris,  
fac me videre faciem tuam,  
fac me audire vocem tuam;  
Vox enim tua suavis, et facies tua  
iucunda est.

15. Capite nobis vulpes,  
vulpes minores, vineis noxias,  
cum floreat vineae nostrae.
16. Amicus meus meus est, et ego illius,  
qui pascit inter lilia.
17. Usque dum expirat dies umbraeque  
fugiant \*);  
recipe te, amice, doreadis aut hinnuli  
cervini more  
in montes aromatum feraces \*\*).

## CAPVT.

\*) Periphrasis poetica vesperae. Vergente nimirum ad vesperam die lenis spirare aura solet in Oriente, quae aestum diurnum refrigerat. Cf. Gen. III. 8. Oppositum est חַיִּים חַיִּים Gen. XVIII. 1. Vespere item umbrae in longum se protendunt et fugere quasi progredientem videntur, unde etiam Virg. in Ecl. I.: maiores cadunt altis de montibus umbrae.

\*\*) Pro כַּתִּיר Syrus legisse videtur כַּתִּיר. Vertit enim חַתִּיר כַּתִּיר, consentitque cum eo THEODOTTONIS versio: ἐπὶ οὐκ ἀρμυραν. Confirmat vero hanc lectionem interpres sine dubio optimus, poeta ipse C. IV. 6.

Fingit poeta, sponsam in tuguriolo vineae ad somnum se composuisse, v. 5. 6., sponsum vero, ne turbetur in eo, intercessisse v. 7., tum vero illam audire sibi visam esse per somnium vocem sponsi per montes collesque ad eam properantis,

## CAPVT III.

1. Super cubili meo, nocturno tempore,  
quaesivi, quem toto animo diligo,  
quaesivi eum, nec inveni \*).
2. Surgam age (dixi), et circumibo in  
urbe,  
in plateis forisque quaeram, quem toto  
animo diligo,  
quaesivi, nec inveni eum.
3. Offenderunt me custodes, circumeun-  
tes per urbem,  
"Vidistisne, quem toto animo  
diligo?"
4. Vixque transieram illos, cum inveni,  
quem toto animo diligo;  
prehendi eum, nec me eum dimissu-  
ram esse dixi,

us-

ad parietem tugurioli adstantis, perque fenestras  
eius eam alloquentis et invitantis, v. 8 — 14;  
illam porro, ut invitationi huic obsequi vineam-  
que eo securius deserere posset, mandata de vul-  
pibus capiendis cavendoque interim vineae dedisse  
suis, v. 15. sponso denique novam denuo fidem  
spopondisse, v. 16., et iam quidem, ut eo, unde  
venerit, (v. 8. 9.) propere se recipiat, ei conces-  
sisse, sed ea conditione, ut vesperi ad eam  
redeat. v. 17.

\*) Incipit ab hoc v. novum somnium, quod in urbe  
inque matris suae domo somniasse fingitur sponsa.

usque dum eum introduxero in do-  
mum matris meae,  
inque conclave eius, quae me con-  
cepit.

## S P O N S V S.

5. Obtestor. vos, virgines hierosolymi-  
tanae,  
per dorcadas perque cervas sylvestres,  
utne excitetis nec expergeficiatis di-  
lectam hanc,  
donec ipsi libuerit. —
6. Sed quaenam haec, quae ascendit ex  
deserto \*),  
sicut columna fumi,  
circumfusa suffimento myrrhae et  
thuris,  
omnisque generis pulveris odorati?
7. Ecce lepticam Salomonis,  
cinctam sexaginta viris fortibus,  
e fortissimis Israelitarum,
8. qui omnes gladio gerendo assueti,  
reique militaris gnari,  
quisque gladium in femore habet,  
propter nocturnam formidinem.

9.

\*) Dum sponsus etiam hunc sponsae somnum in-  
turbatum esse vult, de improvviso eius in con-  
spectum venire porro fingitur sponsa regia, quae  
solemni pompa ad regem ducitur, atque ab eo  
magnifice excipitur.

9. Gestatorium comparavit sibi rex Salomo,  
e Libani lignis,  
10. columnas eius ex argento fecit,  
latus posticum ex auro,  
sedile purpureum,  
totum intus amabiliter \*) exornatum  
a virginibus hierosolymitanis.  
11. Exite (per me), Sionitides, spectatum  
Salomonem regem,  
in corona, qua redimivit eum metropolis eius,  
die eius nuptiali,  
die ei tam laetabili.

## CAPVT IV.

1. Quam vero tu venusta es amica, quam  
venusta tu \*\*)!  
Oculi tui quasi columbarum e peplo  
tuo \*\*\*),  
crines

\*) Cf. אהבה אילת אהבים Prov. V. 18. Est vero אהבה pro באהבה, qua ratione saepe nomina substantiva adverbiorum vices sustinent, ut Prov. I. 33.

\*\*) Opponit sponsus nativam simplicemque sponsae suae venustatem omni ante descriptae magnificentiae regiae. Qua ex comparatione eximia poetae, quisquis fuerit, ars elucet.

\*\*\*) צמח LXX. et Syr. Ies. XLVII. 2. et Symmachus hoc loco per velum vertunt. Arab. <sup>ص</sup>م <sup>ع</sup>م constringendi significatum habet.

- crines tui, ut caprarum grex,  
quales sunt, cum in montem Gilead  
ascendant.  
2. Dentes tui ut grex recens tonsarum  
ovium,  
quae ascendant e lotione,  
quae omnes gemelliparae sunt,  
quarumque nulla est sterilis.  
3. Sicut filum coccineum labia tua,  
formaque oris tui quam decens,  
ut mali punici segmenta genae tuae e  
peplo tuo.  
4. Vt turris Davidis collum tuum,  
exstructa in pinnas \*),  
ex qua mille suspensi sunt clypei,  
omnia heroum scuta.  
5. Duae mamillae tuae, ut hinnulorum  
par,  
gemelli dorcadis,  
pascentes inter lilia.  
6. Dum dies exspirabit umbraeque fu-  
gient,  
recipiam me in montem myrrhae et  
collem thuris feracem \*\*).

7.

\*) Sic vertit Aquila: εἰς ἀπολλύεις. MICHAELIS: ad arma suspendenda, sed fatetur idem, incertam esse etymologiam, qua a תלה suspendit et פה acies deducatur, in not. ad LOWTHII Praell. p. 636. f.

\*\*) aperte respondet hoc monito sponsae C. II. 17.

7. Tota tu venusta es, amica,  
nec maculae quicquam in te est.
8. Mecum de Libano sponsa,  
mecum de Libano veni,  
prospecta ex Amanae vertice \*),  
ex Seniri et Hermonis cacumine,  
ex leonum lustris, ex Pardorum mon-  
tibus.
9. Cor meum tibi devinxisti, mea soror  
sponsa,  
cor meum tibi devinxisti vel uno ocu-  
lorum tuorum,  
vel una collarium tuorum torque.
10. Quam iucundi amplexus tui, mea so-  
ror sponsa,  
quam vino delicatiores amplexus tui,  
et unguentorum tuorum odor quovis  
aromate.
11. Favo stillant tua labia sponsa,  
mel cum lacte sub lingua tua,  
et vestium tuarum odor ut odor Libani.
12. Hortus obseratus es, mea soror sponsa.  
hortus \*\*) obseratus, fons obsigna-  
tus \*\*\*).

13.

\*) hic, quod fluvium Amanam fundit, et ipse id  
nominis accepisse videtur.

\*\*) pro הָא rursus הָא habent LXX. *Vulg. Syr. et  
Arabs*, plures item Codd. mss., ut videre est apud  
de Rossi in var. lectt. V. T. ad h. l.

\*\*\*) Etiam, quae h. v. continentur, ad laudes spon-  
sae

13. Plantasti pomarium, in quo sunt mala  
punica,  
fructusque exquisitissimi quique,  
cyperi cum nardis,
14. nardus et crocus,  
calamus aromaticus et cinnamomum  
cum omnibus lignis thuriferis,  
myrrha et agallochum  
cum praecipuis quibusque balsamorum  
generibus.
15. Ex fonte horti latices manant peren-  
nes,  
iique defluentes de Libano.

## S P O N S A.

16. Surge aquilo venique auster \*),  
perfrate hortum meum, ut balsamo-  
rum odoribus halet \*\*);  
Ve-

sae pertinere, sequens שלחך probat. Castitas  
eius ceteraeque, quibus ornata sit, sexus virtutes  
figurata oratione et verecunde, ut decet, praedi-  
cantur.

\*) Aquilo et auster, venti contrarii, per vices flando  
aerem temperant.

\*\*) „invitent croceis halantes floribus horti.” *Vulg.  
Georg. IV. 109.*

Veniat amicus meus in hortum  
suum \*),  
et edat de fructuum eius exquisitissi-  
morum quoque.

## C A P V T V.

## S P O N S V S.

1. Venio in hortum, mea soror sponsa,  
decerpo myrrham meam cum balsamo  
meo,  
comedo favum meum cum melle,  
bibō vinum meum cum lacte.  
Edite (et vos) sodales,  
bibite ad satietatem usque, carissimil

## S P O N S A.

2. Dormiebam ego, animus tamen meus  
erat vigil.  
Vox amici mei pulsantis ad ianuam:  
Aperi mihi, mea soror, amica mea,  
columba mea, mea optima,  
quam caput meum rore plenum,  
caesaries mea ab humente nebula ma-  
dens!

3.

\*) Quem modo *suum* dixerat hortum, nunc, cum  
invitat eum, amico attribuit. Urbane et amanter!

3. Exui tunicam meam, quā possim inda-  
ere illam,  
lavi pedes meos, quā possim illos in-  
quinare?  
4. Immisit manum suam per foramen ami-  
cus meus,  
iamque eius me commiserescebat intime.  
5. Surrexi ego ad aperiendum amico meo,  
manus vero meae stillabant myrrha,  
et digiti mei myrrha manante \*) super  
ansis pessuli.  
6. Aperui amico meo,  
isque declinaverat, abierat,  
ego vero exanimata fui,  
quod retrocessisset, \*\*)  
quaesivi eum, nec inveni,  
vocavi eum, nec respondit mihi.

7.

\*) עֵבֶר מֵי מִיּוֹר plerique de myrrha probatiore, מִיּוֹרִימ  
interpretantur ad exemplum עֵבֶר לְסִדּוֹר Gen.  
XXIII. 16. Videtur vero potius per adiunctum עֵבֶר  
myrrha *liquida* denotari, quae Graecis *stacte* vo-  
catur et a LUCRETIO II. 846. *stacta liquor*. Sic  
etiam infra v. 13. Apē DATHIUS ad illustrandum  
hunc locum affert versus LUCRETII IV. 1170. ss.

At lacrimans exclusus amator limina saepe flo-  
ribus et sertis operit, postesque superbos ungit  
amaracino et foribus miser oscula figit.

\*\*) Arab. עֵבֶר in Coni. I. IV. et X. significat etiam  
*tergum vertit, retrocessit*.

7. Offenderunt me custodes, circumeuntes  
per urbem,  
qui verberarunt et vulnerarunt me;  
abstulerunt mihi velum meum moeniorum custodes.
8. „Obtestor vos, virgines hierosolymitanæ,  
si repereritis amicum meum,  
ut ne \*) indicetis ei, quod amoris  
morbo laborem.”
9. „Dic, qua in re praestet amicus tuus  
aliis, venustissima!  
qua in re praestet aliis, quod sic nos  
obtesteris?”
10. Amicus meus candidus et rubicundus  
est,  
inter myriades insignis.
11. Caput eius est quasi aurum solidum,  
caesaries eius crispata, \*\*) corvinae  
nigredinis.

12.

\*) Ex comparatione locorum C. II. 7 et III. 5. cum  
VIII. 4. clarum est, מִן negare, atque esse pro  
מִן-עַל propter quid, i. e. ne, idemque valere,  
quod Syrorum ܡܢ quo graecum *μὴ* verti-  
tur I. Cor. VIII. 9., aut Arabum ܡܢ.

\*\*) חֲלִילִים LXX. et *Vulg* per *ελαττας*, *elatas*, q. e.  
dactylorum involucria verterunt, et Arabibus  
خَلْدٌ est *spata palmarum*. Elatae vero, cum  
rumpuntur dactylosque in lucem edunt, crinis  
varie

12. Oculi eius velut columbarum ad aqua-  
rum canales,  
lacte quasi loti, in pala sedentes.
13. Maxillae eius areolae quasi balsameae,  
vasa velut aromatica,  
labia eius lilia,  
myrrhae liquore stillantia.
14. Manus eius cylindri aurei,  
quibus hyacinthi sunt insiti,  
venter eius ebur nitidum,  
distinctum sapphiris.
15. Crura eius columnae marmoreae,  
vasibus fundatae aureis,  
forma eius ceu Libani,  
eximia ut cedrorum.
16. Os eius mera dulcedo,  
et totus ille desideratissimus.  
Talis est amicus meus,  
talis, quocum juncta sum,  
o virgines hierosolymitanae!

## CAP. V. T. VI.

1. Quorsum abiit amicus tuus, venustis-  
sima!  
quorsum se vertit amicus tuus?  
ut quaeramus eum tecum.

2.

varie et cum pulchro aliquo ordinis artisque neglectu  
crispatae speciem referunt. Vid. MICHAELIS ad LOW-  
TRUM p. 638. et Biblioth. orient. VII. Th. p. 172.

2. Amicus meus descendit in hortum suum,  
ad areolas balsameas,  
ad pascendum in hortis,  
ad colligendum lilia.
3. Ego amici mei sum, et amicus meus —  
meus est,  
qui inter lilia pascit.

## S P O N S V S.

4. Venusta vero tu, o mea, ut Thirza, \*)  
iucunda ut Hierosolyma,  
angusta, ut quae tui sexus maxime  
sunt insignes \*\*).
5. Averte oculos tuos a me,  
nam incendunt me illi; \*\*\*)

Cri-

\*) THIRZA longe iam ante Salomonem reguli alicuius Canaanitarum, Ios. XII. 24. et post eum demum regum quorundam Israeliticorum sedes fuit.

\*\*) Frandi videtur fuisse interpretibus cum veteribus tum recentioribus, quod in explicando hoc verbo semper observarentur illis *vexilla* ab significato derivati *וַיִּשָּׂא וְעִשָּׂא* *vexillum*. Enimvero hoc nomen suum significatam habet a verbo, non verbum a nomine. Quis autem verbi fuerit significatus, clarum est ex C. V. ro.

\*\*\*)) ad verbum: *ferocire me faciunt*.

- Crines tui, ut caprarum grex,  
quales sunt, cum in montem Gilead  
ascendunt.
6. Dentes tui ut grex ovium,  
quae ascendunt e lotione,  
quae omnes gemelliparae sunt,  
quarumque nulla est sterilis.
  7. Ceu mali punici segmenta genae tuae  
e peplo tuo.
  8. Sint (per me) sexaginta uxores,  
et octoginta pellices regiae,  
et puellarum innumerabilis multitudo:
  9. Una illa mea columba, mea optima  
est,  
unica quasi matri suae filia,  
probatissima genitrici suae.  
Videbant eam virgines et felicem prae-  
dicabant,  
uxores pellicesque regiae, et lauda-  
bant eam:
  10. „Quaenam est haec, quae lucet auro-  
rae instar,  
„venusta ceu luna, pura ut sol,  
„angusta, ut quae nostri sexus maxime  
sunt insignes \*)?”

SPON-

\*) Recte sine dubio DATHIVS verba huius versus feminis regis modo memoratis attribuit. Nempe  
ut

## S P O N S A,

11. Ad nucum hortum descendi,  
visum virentem vallem,  
visum, num germinent vites,  
mala punica num floreant.

13. Nescio quī, conjeci memet ipsam  
in medios currus Aminadabi. \*)

## CAPVT

ut poeta C. III. 6. — IV. 15. finxit, obuiam fieri sponso sponsam aliquam regiam regali cum pompa luxuque ad Salomonem regem ducendam, eum vero suam amicam, utut simplicem, deliciasque, quas et commercium cum illa et rursus hortorumque amoenitas ei praebent, magnificentiae illi omni longe praeferre; sic hic eundem inducit, *unicam* suam sponsam regis uxoribus pellicibusque omnibus anteponentem, quin has ipsas summas ei laudes impertientes.

\*) Sic voces עמי ורבי ut unum propriumque nomen legerunt LXX, et *Vulg.*, estque eo probabilior haec lectio, quod recepta, quomodocunque explicetur, nullum commodum sensum praebet. Exponit v. 11. et 12. sponsa, qua occasione factum sit, et uxores pellicesque regiae cum earum puellis eam viderent laudarentque (v. 9. sq.), cum nempe in nucum hortum eundo, nil tale cogitans in currus inciderit Aminadabi. His curribus vehi fortasse solitae erant feminae illae regiae, possitque Aminadabus ductor eorum praefectusve primarius

## CAPVT VII.

I. „Revertere, revertere o Sulamithis,  
revertere, revertere, ut spectemus te.”  
Quid spectabitis in Sulamithide?  
Saltatricem forte aliquam castrensem. \*)

## SPON-

marius fuisse. — Quis in carmine tam antiquo talia, quae vix uno alterove verbo tanguntur, omnia certo possit explicare!

\*) Choreae et saltationes virginum ac feminarum ad publicam et solemnem laetitiae significationem, post victoriam inprimis aliquam ab hoste reportatam, institutae מְחֻלֵּת vocabantur. Vid. Exod. XV. 20. XXXII. 19. Iud. XI. 34. I. Sam. XVIII. 6. Singularis מְחֻלָּה hoc uno in loco obuius, unam eius generis saltatricem denotat, nisi quidem forma מְחֻלֵּת per crasin idem est, quod מְחֻלֵּת. Vid. Iud. XXI. 23.

Qua admiratione quibusque encomiis Sulamithidem, occurrentem sibi in via, exceperint uxores pellicesque regiae et quae in earum comitatu erant, virgines, eius narratio supra sponso tributa. Sulamithis ipsa hic curruum tantum, in quos inciderit, mentionem facit, quidque ab his ei, cum se illis subduceret, succlamatum sit, ipsa vero responderit, modeste cumque verecundia vere virginali refert. Admirabile sane מְחֻלָּה in poeta tam antiquo!

## S P O N S V S.

2. Quam vero venuste incedis, principis filia? \*)  
fornices femorum tuorum ut monilia artificiose fabricata,
3. Umbilicus tuus phiala rotunda,  
vino aromatico plena,  
venter tuus ut tritici acervus liliis circumseptus.
4. Mamillae tuae ut hinnulorum par,  
gemelli dorcadis.
5. Collum tuum ceu turris eburnea,  
oculi tui ut piscinae Hesbonenses ad portam Bathrabbim,  
nasus tuus ut turris Libani,  
Damascum versus spectans.
6. Caput tuum Carmelo simile,  
et crines \*\*) capitis tui, ut purpura regis  
in plicaturas collecta.

7.

\*) Gregariis saltatricibus cum se assimilasset sponsa, eam potius magnifice, ut principis aliquius filiam, incedere, regerit sponsus.

\*\*) Voc. מלך MICHAELIS in notis ad LOWTHIUM p. 641. de crine potius longiori et copiosiori, quam tenui, recte explicat ex arabico *سلك* pendulus fuit, unde et chald. *ליל* peniculamentum, idemque

7. Quam venusta es quamque iucunda carissima omnium, quae in deliciis habentur!
8. Statura haec tua similis est palmae, et ubera tua racemis.
9. Osi liceret, inquiebam, ascendere in palmam,  
complectique eius spathas,  
essentque ubera tua racemorum instar vitis,  
et narium tuarum odor quasi pomorum,
10. palatum denique tuum, ceu vinum optimum,  
quale amicus meus libentissime bibit, irrepens \*) in labia vel dormientium.

## SPON-

que comparatur cum purpura regis non coloris sed multiplicium plicaturarum aut fasciarum, quibus concinnata erat tiara regis purpurea, quod per *אסור ברהמים* indicatur. Eo certe spectat versio LXX. *δεδεμενος εν παραδρομας* et *Αλλου* apud Originem, quae luculentior adhuc est redditque ebraicum per *ως πορφυρα βασιλεως περιδεδεμενη ειλημασι*, quaeque etiam, ut LXX., aut *מלך ארמן* ut constructum cum sequente *מלך* legit, aut certe *ארמן* ante *מלך* repetiit.

\*) Arab. *س* est *reperere*, *irrepere* - qui significatus vino lenis quasi olei more se insinuanti perquam aptus.

## S P O N S A.

11. Ego amici mei sum,  
isqui mei est appetens. \*)
12. Age, mi amice, exeamus in campum,  
pernoctemus in villis.
13. Mane nos conferemus in vineas,  
videbimus, num germinent vites,  
an flores earum se aperuerint,  
floreant mala punica.  
Ibi, ut amplexeris me, tibi dabo.
14. Mandragorae exhalant odorem,  
et ante fores nostras sunt fructus ex-  
quisitissimi quique,  
cum recentes; tum veteres, amice, pro  
te condidi.

## C A P V T VIII.

1. Quam vellem, ut frater meus esses,  
qui matris meae ubera suxisset,  
inventumque te publice exosculari pos-  
sem,  
nec vitio id mihi verteretur.
2. Ducerem ego te atque introducerem in  
matris meae domum, ut me doceres.  
ego vero bibendum tibi darem aliquid  
vini aromatici,  
musti ex malis punicis expressi.

3.

\*) *הקשר* mutuae coniugalis appetentiae signifi-  
catum habere, cum ex linguae arab. usu, tum  
ex locis Gen. III. 16. IV. 7. certum est.

3. Sinistra eius subdat se capiti meo,  
et dextra eius amplexetur me!

## S P O N S V S.

4. Obtestor vos, virgines hierosolymitanae,  
ut ne excitetis, nec expergeficiatis di-  
lectam hanc,  
donec ipsi libuerit.
5. Quaeenam vero ista, quae ascendit ex  
deserto,  
innixa amico suo? —

## S P O N S A.

Sub mala ista primum te movi,  
ibidem foedere te iunxit \*) mihi mater  
tua,  
immo foedere te adstrinxit genitrix tua.

6.

\*) sic collato arabico *جنى* foedere constringere  
explicat MICHAELIS in not. ad *Louthium* p. 604 f.  
Posteriora tria membra huius v. sponsae verba esse  
suffixa masculina comprobant. Dum dormire  
sponso sua sponsa videtur (v. 4.), videt is forte  
aliam quandam suo cum amico eminus venientem,  
miraturque amantium familiaritatem ac tenexitu-  
dinem. Quod cum animadverterat sponsa, com-  
mota ea re, ut est amor suspiciosus, continuo  
sponso prima mutui amoris initia, foederisque  
pridem iam inter eos, matre eius ipsa conscia et  
assentiente, initi sanctitatem in memoriam revo-  
cat hoc ipso v., adiuratque eum quasi ut eius  
amor erga eum, constans ac perpetuus nullique  
vicissitudini aut casui quantumvis gravi obnoxius  
sit (v. 6. f.).

6. Imprime me tanquam sigillum cordi tuo,  
tanquam sigillum brachio tuo,  
nam potens mortis instar est amor,  
implacabilis, ut infernus, amor offensus,  
fervor eius est fervor igneus,  
flamma caelitus incensa.
7. Aquae quantumvis multae non possunt  
eum extinguere,  
nec flumina inundatione obruunt,  
si quis omnes domus suae facultates  
pro eo dederit,  
sperneretur proque nihilo id haberetur.
8. „Parva natu soror nobis est,  
„quae mammas nondum habet,  
„quid hac sorore nostra faciemus,  
„quum sermo de ea erit?
9. „Si murus est, superstruemus ei arcem  
„argenteam;  
„Si ianua, obstruemus eam tabulis  
„cedrinis.” \*)

IO.

\*) Fratrum C. I. G. iam mentio facta, quod illi suc-  
censuissent sorori, eius amores non probassent,  
eamque, ut ab istis avocaretur, a pastoritia vita  
in vineas amandassent. Hic sponsa, quid delibe-  
rassent statuissentque de ea, allegat. Statuisse  
nimirum eos, si *murus*, h. e. si obnixura illa  
esset proco repulsamque datura, magno illos eam  
in honore habituros; sin *ianua*, h. e. si facilem  
se illi praebitura esset, opponenda illi esse obsta-  
cula. — Quo vero ipsa sit animo, sponso iam in  
sequentibus v. 10—12. declarat.

10. Omnino murus ego sum mammae-  
que meae cen turres,  
eamque ipsam ob causam visa sum ei  
digna, quacum se iungeret.
11. Vineam fuit Salomoni Baalhammone,  
eamque elocavit custodibus,  
ut quisque pro fructu eius solveret  
mille argenteos.
12. Meam ipsius vineam ipsa curo,  
mille quidem tibi sunt o Salomo,  
ducenti vero iis, qui fructum eius  
custodiunt. \*)

S P O N S V S.

13. St, subauscultant voces tuas socii, o  
habitatrix hortorum!  
fac me eas solum audire. \*\*)

S P O N S A.

13. Recipe te hinc, amice, dorcadis aut  
hinnuli cervini more;  
in montes aromatum feraces. \*\*\*)

\*) Sponsus sibi pro Salomone futurum esse, quan-  
tumque illa eum dehortantibus anteponat fratri-  
bus, tectius sic et eleganti sub schemate intelli-  
gendum praebet.

\*\*) Cum in loquendi fervore paulo vocalior facta  
esset sponsa, monet eam sponsus, ut temperet voci.

\*\*\*) Clausula eadem fere, quae C. II. 17. adfuit, qua  
itaque sponsa dilecto suo non in perpetuum,  
sed ad tempus tantum valedicit.

## E X C V R S. I.

de titulo שיר השירים.

Hoc titulo carmen ob elegantiam praestantiamque eius singularem insignitum fuisse, creditur a plerisque. Quanquam vero negari non potest, ab loquendi apud Ebraeos usu minime alienum esse, ut, quod eximium est in suo genere, hac ratione designent, exemplumque eius loquendi formae habemus ab Salomone ipso datum Coh. I. 2.; hic tamen id significare voluisse vel Salomonem ipsum, vel quisquis alius fuerit, qui titulum illum carmini proposuit, non tam certum est, ut nullam dubitationem habeat, cum nulla satis luculenta in promptu sit ratio, cur huic praecise carmini is decernendus fuisset honor.

Neque tamen etiam in hoc sat rationis est, cur ab usitato vocabuli שיר significatu recedendum sit, cum sine exemplo esset, ut unum idemque nomen sic secum ipso constructum alium aliumque haberet intellectum.

Verisimilius est, tituli שיר השירים veram rationem quaerendam esse in carminis interna natura atque constitutione. In eo enim non poeta ipse loquitur, narratve aut describit, quae ipsi obiecta sunt, sed in dramaticam quasi actionem versum est totum eius argumentum, estque illud quoad personas in eo loquentes, agentes, suas cogitationes ac desideria sibi invicem declarantes aequae ac quoad sermonis indolem, imagines colores affectionesque omnes, quantum quantum est, pastoritii generis et usque adeo Theocriteae poëseos

simi-

simile, ut Theocritus ipse hausisse ex eo vivis nonnullis doctis visus sit \*).

Quemadmodum igitur huius graeci poetae carminibus ab ipso εἰδυλλίων nomen est inditum, quod varia essent in illis poematiarum εἶδη s. genera, interprete *Scapula*; sic Canticum canticorum hoc nomen accepisse videri possit, quod carmen sit ex pluribus quasi concinnatum canticis.

Cum porro illud שיר השירים in singulari dictum sit, probat hoc, illud non ex diversis diversorum poetarum canticis constare, sed unius argumenti atque unius eiusdemque poetae opus esse. Per totum enim illud etiam eadem personae, sponsus quippe et sponsa loquentes inducuntur, actusque scenae omnes a primo capite ad extremum usque satis bene inter se cohaerent, si modo, quis aut quae loquatur, accurate observetur, quaeque de improvviso quasi interveniunt, non ad primum carminis argumentum referantur. Si quis hoc observaverit etiamque tum nexum cohaesionemque desideraverit, sciat is, quod in hoc carminum genere universe in constituendo sententiarum ordine et nexu non sit argutandum \*\*).

## E X C V R S. II.

ad CAP. I. v. 4.

In duobus extremis huius v. membris et parallelismus non satis sibi constat et nexus vix explicabilis est, sensus denique verborum שירי אהבה או שירי או, si sumatur, שירי esse abstractum pro concreto שירי, vertendam itaque sententiam esse: *probi amant te*, ieiunus, nimis prosaicus reliquoque sermonis παρὰ, parum conveniens.

Sen-

\*) Vid. Lowthii Praelect. Ed. II. Götting. p. 613.

\*\*) Vid. quae cel. Heynius monet in Argum. III. Eclogae Virgil.

Sentiunt hoc interpretes recentiores omnes, nec quicquam habent, in quo acquiescere quis possit. In veteribus unus Syrus aliquid lucis infert in locum tam obscurum. Is enim vettit: סוף לבי יושע. suo itaque in exemplari legit ומישרים אהרן. Sic parallelismo consultum esset, et אזכרים atque אזכרים eadem ratione παράλληλα essent, ut Prov. VII. 18., sensus vero posterioris membri adhucdum obscurus impeditusque. Quid enim hoc esset: *et plusquam rectos s. recte facta amores tuos.*

Unicum quoad hanc sententiam remedium est in conjectura. Quid igitur, si dicatur, aut pro מין, quod proxime praecedit, legendum esse מין in statu constructo, aut si accentui, מישרים a מין dirimitur, honor habendus sit, post מין repetendum esse, quod ignorantia lapsuve librarii alicuius antiquissimi e contextu exciderit, מין. Sic certe omnia plana essent, מין idem esset, quod C. VIII. 10. מין הטוב הולך, aut Prov. XXIII. 31. מין מתהלך במשרים, in altero membro cresceret oratio, idque hac ratione emendatum sic se haberet:

מין מישרים אהרן.

Fatendum est, emendationem hanc codicum ac versionum antiquarum auctoritate destitui, sed fatendum etiam, non ante Masoretharum tantum, sed vel ante antiquarum versionum tempora fieri potuisse, ut in codicibus ebraicis voces aut syllabae aliquae singulae vitii aliquid paterentur; nisi quidem statuere quis vellet, illorum temporum scriptores ab errandi periculo omni immunes fuisse. In hoc vero loco lapsus eo facilius fuit, quod ab eadem voce, in quam membrum desinit prius, alterum continuo incipit.



286810